

6
12
E




RENATI RAPINI
SOCIETATIS IESV
ECLOGÆ
CVM
DISSERTATIONE
DE
CARMINE PASTORALI.





PARISIIS,
Apud SEBASTIANVM CRAMOISY, Regis ac Reginæ Architypographum, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. LIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.



ILLVSTRISSIMO AC LAVDATISSIMO VIRO GVILLELMO LAMONÆO SENATVS PRINCIPI.

PASTORES *ipsos, quantumuis simplices & plenos ruris, deterrere non potuit à tuo tribunali*, VIR ILLVSTRIS-

SIME, *vel fortunæ suæ tenuitas, vel magnitudo tuæ. Accedunt confidentissimè, non ignari, quàm de te bene merita sit tota gens pastoralis: ex quo iustitiam, quam amas vnicè, orbe iam deprauato exulem ab vrbibus, recepit ruri peramanter & perquamofficiosè. Nam*

extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia
fecit.

Amabis, sat scio, homines ordinis illius, cuius quasi patria & auita laus est, coluisse desertam à cæteris iustitiam, cùm sis ipse iustitiæ cultor tam eximius. Neque opinor tibi regni iam totius occupatissimo

erunt incommodi: cùm quod postulant à te, neque graue sit, neque id alieno tempore postulent: vt aures tuas, quæ iam patent omnium querelis, calamorum suorum dulci susurro patere sinas interdum. Credo non repugnabis, si te præsertim vel fori satietas, vel tædium querelarum ceperit aliquando. Licèt autem tenue sit, vt est, & exiguum, quod afferunt: non existimabis tamen indignum tui, si referas animum ad ea tempora, quibus principes in vrbe, quæ tum erat plena maiestatis, viros, & tenebant cantilenis suis pastores Virgiliani, & siluæ, hoc est, pastorales eclogæ, consule,

qui praeerat Senatui, dignæ videbantur.

Virgil. eclog. 4. Si canimus siluas, siluæ sint consule dignæ.

At quantum pastoritio carmine delectareris, VIR ILLVSTRISSIME, *fecisti nuper vt ignorare minimè possem. Cùm enim essem ruri vnà tecum, tuo in Bauillæo,* Theocritum, *vt monet Fabius*, in eo genere admirabilem *mihi non laudabas modò, sed etiam in nostris sub vesperam deambulationibus, nobis eum volebas esse comitem bene assiduum. Testis ille riuus non procul à villa tam bellè fluens, ad cuius herbescentem ripam vm-*

Institut. orat. lib. 10. c. 1.

brosioribus in locis, pastorales incomparabilis istius poëtæ lusus mecum legebas. Nam familiaritatem hanc mihi dederat & tua singularis humanitas, & loci solitudo. Ex quo perspicuum est, quàm in omni bonarum litterarum cognitione mirificè versatus sis, qui deliciarum earum, quæ in suauioribus Musis delicatiores, curiosioresque sunt, gustum habeas ita exquisitum. Penetraueras scilicet in vberrimos purissimósque omnis liberalis doctrinæ fontes, vt ardentissimam eam, quæ te ab ineunte adolescentia ceperat, litterarum sitim plane expleres. Quod sic à te perfectum est, vt miraren-

tur, qui te videbant in occupatissimo magistratu negotiorum multitudine pæne oppressum, quomodo abs re tua tantùm otij tibi esse potuisset, vt sic ad omnes præclararum artium disciplinas mentem intenderes. Quidquid enim erat bonarum, in veteri Græcia, & Latio litterarum, non modò complexus eras studio: sed etiam descriptam legibus & iure ciuili tam latè diffusam artem sic perceperas animo, vt in iis controuersiis, quæ ad ius pertinent, quasi quoddam ciuitatis oraculum esse videreris.

Verùm quia maior erat etiam in te ad virtutem, quàm ad studia lit-

terarum indoles, quæ tamen fuit maxima: rectè de te iudicasse minimè videbantur, qui te in omni genere disciplinæ excellentissimum, non iudicabant etiam morum probitate excellentiorem. Suspiciones obtrectatorum non verebor hoc loco; cùm liberam hactenus ab obtrectatione, & maleuolentia vitam egeris. Cúmque nullius orationis copiâ, possit vlla ad tuam laudem fieri accessio: si coniecturas assentationis in te laudando pertimescam, non prudens sim. Multò magis mihi verendum puto, ne si laudatissimas cùm animi, tum ingenij tui dotes persequar laudibus, modestissi-

mo tuo pudori videar parum æquus. Cùm is ſis, qui te laude dignum malis, quàm laudari; neque tam quod laudabile eſt facias, vt videaris facere, quàm quod aliter facere non poſſis.

At non eſt præterea eiuſmodi tua virtus, quæ vel pudore tuo, vel modeſtiâ celari queat. Erupit in lucem, pérque omnium ora ſic peruaſit, vt nemo ſit iam adeò rerum ignarus, qui te ignoret. Quis geſtos in vrbe, tantâ dignitatis ſimul & integritatis opinione magiſtratus non celebrauit dicendo, ſi quando de te mentio incidit? Quis procuratum in Armoricis comitiis, tantâ

omnium ordinum conſenſione, regis negotium non laudauit? Cui grauiſſimis in rebus ſpectata, prudentia tua tam ſingularis, inſignis in patriam caritas, caſta in regem fides, amor religionis eximius, de omnibus bene merendi ſtudium incredibile, & cæteræ tuæ præclaræ virtutes omni genere commendationis non peruulgatæ? Quâ tantâ celebritate famæ perfectum eſt, vt nihil iam prædicari de te queat, quod publica vox non præoccuparit. Tantæ ſcilicet exiſtimationis altiſſima ieceras fundamenta, adoleſcentiam omnium præclararum rerum diſciplinâ bene inſtitutam: quæ nobiliſſi-

mæ, in qua natus es, domus claritatem, amplitudinem maiorum, parentum excellentissimam pietatem, (fuit enim semper hæc quasi domestica familiæ vestræ virtus) iam expressisse in se videbatur, eo flexu ætatis, qui procliuis est ad licentiam.

Quid dicam de æquabilitate anteactæ vitæ, & constantia, in administrando iure, tam admirabili, quæ non modò fauori & gratiæ, sed ipsi etiam suspicioni resistat? Quid de probitatis & modestiæ incredibili laude? Cùm, vbi sunt omnia perdita luxu, domus priuatorum supra modum sumptuosæ, opu-

lentæ vestes, supellex magnifica: ipse in amplissima domo, & à re familiari bene constituta, iis quorum mores ad luxum incubuerant, disciplinæ, parcitatis, & modestiæ exemplum extiteris. Ipsa tua villa quæ nunc est, *licèt posita in eo fundo qui sumptus ferre poterat bene magnos, vt Tulliana ista*, tanquam philosophia videtur esse, quæ obiurget cæterarum villarum insaniam. *Quæ cùm per se se admirabilia sunt: certè in tanto temporum luxu, tam corruptrice ciuitate, moribúsque tam deprauatis, quodammodo incredibilia esse videbuntur.*

Ad Quin. fratrem l. 3. epist. 1.

Quid erat autem magis optandum, quàm vt tantæ pulcritudo magnitudóque virtutis proponeretur aliquando in ea luce, ex qua toti regno exemplum esse posset? At qui te nouerant istâ vitæ ac morum disciplinâ, iis dubium non erat, cùm de præficiendo senatui principe deliberaretur, quam in partem se regis voluntas converteret: neque sua fefellit eos opinio. Nam cùm post fractos hostes clade tam insigni, vrbes in Belgio munitissimas expugnatas, résque hoc anno tam præclarè gestas, in vrbem victor rex rediret: nihil existimauit ad gloriam suam addi posse, quàm vt te iusti-

tiæ suæ summum moderatorem constitueret, adeóque domi, foris, belli, togæ triumpharet. Eò pertinebat illa tam diuturna in faciendo delectu deliberatio, ne suspiciosissimis temporibus his, festinationis in tam graui negotio exprobrandæ maleuolis locus esse posset. Quo tam prudenti suo facto rex sapientissimus non tam suæ in te singulari beneuolentiæ, quàm populorum suorum iustissimæ voluntati visus est satisfacere voluisse. Cùm enim rumor is differri cœpit in vulgus: quæ fuit passim per vrbem facti tam laudabilis commemoratio? Quæ significatio data gaudiorum? Quæ gratulatio &

lætitia vniuersæ ciuitatis? Certè non meminimus, à tempore bene multo, diem illuxisse vrbi lætiorem eo die, quo regis omnium sapientissimi honorificentissimum de te iudicium, cùm optimi cuiusque, tum multitudinis ipsius testimonio, tantâ consensione animorum fuit comprobatum. Nam cuius ordinis, cuius generis, cuius denique fortunæ studia se publicæ gratulationi non obtulerunt? Cùm enim æstimarent te omnes ex teipso: de summa tua virtute, & totius anteactæ vitæ ratione, faciebant pro se quique admirabiles coniecturas. Sperabat populus, te consilij publici principe,

rem-

rempublicam beatam ac florentem futuram; viri in regno primarij, fortunis suis ac facultatibus, te legum vindice, præsidij plurimùm accessurum. Sperabant Musæ ipsæ fore vt te iudice, ius suum, dignitatèmque obtinerent: palámque affirmabant omnes, legum & iustitiæ securitati, te summo illarum moderatore, planè esse consultum. Magna, mihi crede, vis est ad commendationem tui nominis, iudicium populi, cum regis gratiâ & fauore, vnum & idem sentientis. Contigit enim tibi, quod haud scio an vlli, vt regi & populo, summis & infimis dignus visus sis, qui concilio

totius orbis terrarum amplissimo præficereris. Magna erat de te antea hominum opinio, magna commendatio virtutis & ingenij, magna laus anteactæ ætatis. Hæc autem profectò vides quantò expressiora, quantóque illustriora facta sunt, ex quo te, pæne dicam recusantem, certè, pro singulari tua modestia excusantem multa, Rex collocauit in eo tribunali, ex quo administrandi iuris, ipsis à quibus administratur, esse posses exemplum. Conuersi sunt illico in te, tanquam in certam spem publicæ felicitatis, omnium oculi: auditæ in ore multitudinis tuæ laudes: tuo-

rum prædicatione meritorum paſſim omnia publicis vocibus perſonuerunt. In tanta autem támque conſentienti bonorum omnium gratulatione, in plauſu, de tua dignitatis amplificatione tam vniuerſo, vocem deſiderari meam, ſine flagitio pati non poteram: poſtquam præſertim tuum erga me animum, tam prolixâ beneuolentiæ declaratione, voluiſti mihi ita eſſe perſpectum. Patere igitur, VIR ILLVSTRISSIME, *extet illud meæ erga te ſummæ obſeruantiæ publicum monimentum, vt aliqua ex parte tuis in me, Societatémque noſtram maximis meritis ſatisfacere poſſim.*

Cúmque id operis, quod tibi offero, tua in villa, tuóque fundo perfectum sit: & potuit offerri à me tibi, sine temeritatis opinione, nec potuit offerri alteri cum spe excusationis.

A M P L. T.

Deditissimus
RENATVS RAPINVS
è Societate IESV.

PRÆFATIO

SVAVI ET ERVDITO LECTORI.



CVR ſcribam eclogas id temporis, etſi cauſas habeo ſatis iuſtas : non dubito tamen, quin videar quibuſdam parum conſideratus ; quòd, in tanto qui nunc eſt heroicarum tubarum ſtrepitu, calamos paſtorales tractare cogitem. Nam carminis epici diuina vis, ætatis noſtræ poëtas ſic inflammauit : vt militares animos ſumpſiſſe videantur Muſæ propemodum omnes, factæ bellatrices & heroicæ. In quo carere vix potero aliquâ reprehenſione, ſi eclogas anguſti vt ſunt ſpiritus, & oris perpuſilli, in tanta vel celebritate carminum heroicorum, vel heroum frequentia & tumultu, audiri poſſe putem. At fecit indoles amans ſimplicitatis, vt genus illud ſcribendi ſequerer, in quo laudantur quæ ſimplicia ſunt: tenerémque quod à poëta præcipi videbam:

Laudato ingentia rura, Virgil. Geor. lib. 2.
Exiguum colito.

Cùm enim ſentirem, me non eſſe huius oris, qui tubam ſpiritu ſatis magno inflare poſſem: continui me inter humiles myricas, & ad Muſas tenuiores me retuli. Etſi verò ſcribendi genus hoc vniuerſum leue viſum iri ſuſpicer iis, qui humaniore cultu ad amœniores diſciplinas minimè ſunt inſtituti: ſi qui ſint tamen honeſtarum artium ſtudio dediti, habebunt hîc, in quo curioſitatem ſuam, præclarárúmque litterarum amorem occupare poſſint. Nullúmque futurum puto, paulo liberaliùs inſtitutum, qui hanc, licèt in re tenui, honeſtiſſimam oblectandi otij diſciplinam non amet. Delectabuntur hoc carmine, quos ruris ſolitudo magis afficit, quàm lux & celebritas vrbis; fortunatiſſimo illi ſeni Corycio non abſimiles, cui cùm nihil eſſet amicius rure & ſolitudine, paruo contentus

Regum æquabat opes animis.

Cùm enim per ſeſe pleniſſimum ſit reconditæ cuiuſdam amœnitatis carmen paſtoritium: placere plus ſolet otioſorum de gente curioſis, ſolitariis præſertim, quibus ruri videntur omnia, quàm in vrbe amabiliora. non enim conuenit auribus occupatis.

Phædrus ad Eutyc.

--------*Vaces oportet à negotiis,*

Vt liber animus ſentiat vim carminis.
Nam carminum paſtoralium, ſiue Theocriti, ſiue Virgilij, qui lepos! quæ deliciæ! Quod cùm apud me reputo, in ſpem certam venio fore, vt ſi quando refrixerit ab heroico carmine ætas noſtra, ſatietáſque nos ceperit epopœiæ; homines noſtri ſe aliquando reuocent ad hoc blandum ſcribendi genus, poſtquam tubam toties inflauerint. Quod temporibus his tam eruditis, ſi poëtarum noſtrorum ingeniis celebrari cœperit: non dubito, quin hilarari incipiat grauiſſimorum temporum noſtrorum mœſtitia. Cùm præſertim habeat aliquid id genus carminis, maximè appoſitum ad excitandam recordationem eorum temporum, quibus vigebat ſimplicitas, & innocentia. Nam ætatis aureæ, adeóque beatæ vitæ, quaſi quoddam proponit ſimulacrum, quod aliquid animulæ ſtillare queat bonis omnibus, quos toties imploratæ pacis nondum penitus cepit deſperatio: quando virtutis, innocentiæ, ac ſimplicitatis quaſi rediuiuæ effigiem, & imaginem aliquam, hoc in carmine, habere ſe putabunt. Quod facit vt credam, id genus luſionis, ſcriptionísque, celebre aliquando futurum apud nos,

ſi fortè ab armorum trepidatione reſpirandi locus ſit. Certè res mihi proceſſerit ex ſententia, ſi vel exemplo meo, vel adhortatione, acuam & incitem animos cæterorum.

Verùm cùm ſic eclogas ſcripſerim, vt leges de hoc carmine ſcribendo conſtituere proponerem: vereor ne plus oneris ſuſceperim, quàm ſuſtinere fortè poſſim: cùm deſiderabitur à me, vt abſtineam ab iis vitiis, in quibus cæteros reprehendam. Quis enim mihi ignoſcat, ſi in ea re, quam per me conſtituere cogito, ipſe ab totius diſciplinæ meæ religione deficiam? Sed non dubitabo hîc profiteri de me, quod apud Tullium de ſe profitetur Antonius: *Quaſi verò non ea præcipiam aliis, quæ mihi ipſi deſunt.* Minoris enim eſt operæ leges præſcribere, quàm præſcriptas ſeruare. In quo iuſtos rerum æſtimatores habebo cæteris æquiores, qui id per ſe ſatis intelligunt. Poteſt enim quis de qualibet arte præcipere quamperfectiſſimè, licèt omnem perfectionem artis ipſe non conſecutus ſit. Quibus purgari me oportebat. De argumento carminis pauca dicam.

Lib. 2. de Orat.

Eclogas omnes diuido in ſacras, & varias. Sacræ ea continent myſteria, quibus B. Virginis

ginis vita propè omnis continetur. Quod argumentum partim à me susceptum est, vt meò erga illam summo cultui aliquâ ex parte satisfacerem; partim vt intelligerent poëtæ, qui ad omnes partes bene audiendi animum intendunt, esse etiam in argumentis sacris locum, in quo suam industriam commendare queant. Nam non possum ferre perditi pudoris homines eos, qui venustati, elegantiæ, & amœnitati locum alium non putant esse, quàm in obscœnitate argumentorum. Quod cùm faciunt scribúntque multa odiosè, ipsi non possunt non esse omnibus perodiosi. At fecit ætatis nostræ quædam quasi honestas, vt iam nulli propemodum è poëtis nostris, nisi fortasse qui sunt de grege sordidorum, scribant non honestè.

B. Virginem, quæ mihi argumentum est toto illo carmine voco *Parthenidem*: quod nomen ad ingenium eclogæ magis erat accommodatum. Vt factum à Virgilio, qui certas in eclogis nominum appellationes mutuatus à Græcis, quæ minùs venustatis habuissent patrio sermone. Sic Romam Amaryllidem; Iulium Cæsarem Daphnim; Alexandrum Pollionis puerum Alexim, comparatis

ad gratiam, quæ propria eſt huius carminis, nominibus ſolet appellare. Quod eſt familiare poëtis maximè Latinis, vt petant à Græcis, qui in imponendis nominibus venuſtiores ſunt, appellationes eas, quas ad venuſtatem comparant.

Reſtat vnum quod moneam, in eclogis ſacris tres eſſe non paſtoritias; *Sibyllam*, quæ Pollionem Virgilij; *Sacrificulos*, quæ Pharmaceutriam; *Virgines Hebraas*, quæ mulieres Syracuſanas Theocriti imitantur. Adeóque decem tantùm ſupereſſe purè paſtorales, quem numerum impleuit Theocritus, non ſuperauit. Nam eclogarum variarum prima, quæ contentionem habet duorum paſtorum; ſecunda, & tertia, quæ amores; quarta, quæ funus, referri debent ad eclogas eas, quibus idem argumentum perſecutus ſum. Quamquam diſputabitur in diſſertatione, an numerus is ſuperari poſſit.

Addam verbum de ode paſtorali: ne quid noui in eo quibuſdam eſſe videatur. In quo Theocritum ſum ſecutus, qui quemadmodum ille, paſtorali ode, ſiue cantilenâ, eclogas concluſerim. Nam idyllium triceſimum, quod eſt de morte Adonidis, om-

niúmque poſtremum, eſt ode paſtoralis, ſcripta Anacreontico carmine : quo genere carminis, vt & Saphico, quod eſt à me vſurpatum, nihil venuſtius eſſe poteſt.

Hæc erant quæ breuiter excuſari oportebat à me, ne quid eſſet, quod incurreret in reprehenſionem. Si quæ verò erunt alia, vt eſſe poterunt bene multa, animi indiligentioris, & non accurati, in eo carmine quod eſſe debet quamaccuratiſſimum, accipiet lector, vt homines ſuaues & humani ſolent, benignè & indulgenter.



ECLOGARVM SACRARVM

SVMMA ET INDEX.

ECLOGÆ



ECLOGÆ

SACRÆ,

IN VIRGINEM DEI MATREM.



ECLOGA I.

IN VIRGINEM CONCEPTAM.

DAVID

SEV

PASTOR VATES

Nascituræ Virginis imaginem per somnum obiectam amat, & veneratur.



HOC nemus, has valles, hæc flumina pastor amauit
Iessæus, dulces illo sub monte capellas
Pascebat, tenuíque gregem mulcebat auenâ.
Hic cecinit, cantu rupes vicina sonabat;

Fatidicam quoties perculſus numine mentem,
Diuinam valles docuit reſonare profundas
Parthenidem, caſto paſtorem incenderat igne
Parthenis, Hebræas inter pulcherrima nymphas:
Vos fagi teſtes, & odorifera cypariſſi.
At quæ vicinæ fundit ſe plurima rupi
Deſuper vlmus, habet calamos paſtoris, & ipſo
Seruat adhuc, cecinit quondam quæ carmina, trunco.
Non procul è veteri reſonant examina quercu.
Silua auibus ſtrepit omnis, & ille herboſa ſecundùm
Prata fluit qui riuus, aquæ dum garrulus errat,
Paſtorum teneros, quos ſæpe audiuit amores,
Narrat ad offenſas arguto murmure cautes.
Ingens ad læuam tollit ſe lucus, vbi omnis
Cæde madet tellus, & rorant ſanguine vepres.
Hîc paſtor pugnauit, & hac immane leonis,
Cum iaculo, victor ſpolium ſuſpendit ab vlmo.
Cogite oues pueri, ſilua dedit vrſus ab alta
Ingentem ſonitum: ſed qua veſtigia torquet
Bellua, ſe tollit contra, dextráque prehenſam
Implicat, & molli oppreſſam diſcerpit in herbâ.
Stat pecus, attonitúmque metu reſpectat, & horret
Hirſutúmque ſupercilium, villosáque terga.
Iunipero truncum caput vrſi pendet ab iſtâ.
Ducite vt antè greges, & reddite carmina ſiluis
Paſtores, meritâ victorem ornate coronâ,
Nam patriæ fera monſtra, iſto ſub monte, peremit.
Parce tamen victor procedere, gramine in alto

Cæruleus latet anguis, habet sub dente venenum.
Necquidquam pastor fugit auius, auia serpens
Afflauit tabo latè, infecítque veneno.
Est imâ sub rupe specus, sonat intus aquæ fons,
Quem circum multo fundit se gramine muscus,
Atq; apiũ, atq; hederæ, atq; virens thymus, atq; adiantum.
Huc, dum solæ errant per deuia rura capellæ,
Sole sub ardenti, pastor se ferre solebat;
Hîc canere, hîc viridi frigus captare sub vmbra,
Huc quoque deprehensum, per gramina dum fugit anguem
Venerat, ínque humili fessus desederat herba,
Cùm rupem affatur iam plenus numine Vates.
O quæ serpentem victo pastore superbum
Vidisti seu tu rupes, seu vallis, eundem
Virgine ab Hebræâ quondam mirabere victum.
Nec iam letales colubri per prata nocebunt.
Túque ô! quam sæclis promittunt fata futuris,
Diua veni, durum gentis miserata laborem.
O! mihi, si tantùm vitæ superaret & æui
Virgo, tuum coràm vt possem celebrare triumphum,
Montibus in patriis, mihi pagus cederet omnis.
Cantanti, nec me, cecinit qui proxima Mosi,
Vt perhibent, calamo egregius superaret Elizes.
Talia iactanti fontis vicinia somnos
Fecit, eunt trepido lenes dum murmure riui.
Vix bene sopito fatis promissa puella,
Quæ colubri caput elidat, monstrata per auras.
Hæ simul auditæ voces. Hæc Parthenis ora,

Parthenis hos oculos quondam feret, inclita tantùm
Parthenis, atque alias inter formosa puellas,
Quantùm alios inter formosus Lucifer ignes.
Tu venturam orbi primis venerabere votis
Pastor, & hanc tecum pubes agrestis amabit.
Talibus attonitum visis, somnóque solutum
Iessiadem nymphæ diuina reliquit imago.
Ille autem magno iam tum perculsus amore,
Quis mihi, quis te, inquit, rerum pulcherrima Nympha
Obiecit Deus? atque obiectam protinus idem
Eripuit? Quid Virgo fugis? Si quæris amari.
Aut si te celas, cur tam diuina fuisti?
Credo equidem, tenuem miseri pastoris avenam,
Agrestísque rudes calami aspernabere cantus.
Accipe vota, meos si non dignaris amores.
Et quamuis me non ausim promittere amantem,
Nec sperem fas esse, tibi tamen, omnia quando
Possumus, aut posse incauti speramus amantes,
Partheni, fortè tibi mea quondam vota placebunt.
Montibus antè cauæ valles, aut vallibus vmbræ,
Fontibus aut riui deerunt, aut murmura riuis,
Quàm tua, Virgo, meo labatur pectore imago.
Quæ te non rupes illis videre diebus
Errantem, & blandos iactantem pectore questus.
Fortunate animi pastor? Quæ saxa gementem,
Qui montes, quæ te non audiuere cauernæ?
Sed seu te rupes, seu gramina læta fluentis,
Seu virides siluæ, seu patria rura tenerent:

Parthenidem syluæ, & rupes, & rura sonabant.
Quid memorem? vano quoties altaria ritu
Fluminis in ripâ, vel fontem propter amœnum,
Cespite de viridi, sectáque struebat ab vlmo:
Tum lectos pratis flores, textásque coronas
Ponebat super, & siluestria dona ferebat.
Illum etiam perhibent, seu sidera fortè videret,
Seu Solem, & Lunam, seu pictos floribus hortos,
Dixisse assuetum, Tibi picti floribus horti,
Sol, & Luna tibi, tibi, Partheni, sidera cedunt.
Nec tecum formâ contendat pulchra Rachelis,
Quamquam illam Isacides per tædia longa pararit
Bis septem annorum, nec tædia longa putarit.
Dum vagus erraret, venit Iordanis ad vndam
Lassus, & extremæ sedit sub margine ripæ,
Multa putans: tum sic tenues effatus in auras.
Ripa silet, silet aura, silent cum flumine valles;
Nec pectus, mœstóque silent in pectore curæ.
Ecquis erit tanto modus, aut quis finis amori?
Omnis sperat amans, & durus sperat arator
Venturam segetem, maturam vinitor vuam,
Fœturam pastor, flauentes messor aristas.
Quin age, præque diem veniens ô! Nympha beatum,
Nascere, nascenti Zephyris clementibus auræ
Aspirent, puróque micet lux candida Sole.
Ah! ne illam rigido contristet frigore lucem
Immitis Boreas, aut nubibus aëra fœdet.
Ah! ne illum contra tendant se nubila Solem.

Talia per montes, ſubiectáque montibus antra
Dicebat, nec quid poſſet ſperare, videbat.
Tantùm per ſiluas, & per deſerta viarum
Ibat, vbi, quondam venturâ in Virgine, vanus
Suſpirabat amans, quos non ſperabat amores.

IN VIRGINEM CONCEPTAM
ECLOGA II.
PASTOR VATES.

Virginis ſibi per ſomnum obiectæ futuram dignitatem vaticinatur.

ECCE *coronatis ceſſarunt rura iuuencis,*
Ipſi cum gregibus perſultant, monte ſub iſto,
Paſtores, non hæc regnat per rura voluptas
Necquidquam, pagum rumoribus acta per omnem
Fama volat, cæſum patrio à paſtore leonem,
Siluarum qui terror erat; venere coloni,
Paſtores venere, feram videre iacentem.
Incertum quâ cæſa manu: dúmque auia luſtrant:
Ieſſæum ſolo vatem reperere ſub antro,
Hærentem, curáſque graui ſub corde prementem.
Venit Adon, venit Iohatas, dilectus vterque
Paſtori, iuuenes ambo, & cantare periti.
Venit & Amaſias pagi longæuus aruſpex,
Qui quondam calamos, nec inertes paſſus auenas

Montibus in Syriis, omnis vicinia venit.
Mulcebántque ægrum dictis, curámque leuabant.
Ille autem diuinum animi confessus amorem est:
Tum visam in somnis vanâ sub imagine Nympham
Narrat, & auditas voces, casúmque leonem.
Mirantur casum socij, miratur & ipse
Amasias, quid visa ferant, quò spectet imago
Parthenidis, fari hortatur; tum numine plenus
Fatidicus Pastor, monstratæ Virginis ortus,
Fatorúmque vias aperit, simul incipit ipse,
Mirari simul, & festo fremere omnia plausu.
Nam memorabat, vti mulier labefacta colubro,
Exitium generi fuerit, tum lapsa per omnem
Progeniem latè turpis vestigia noxæ.
Hoc erat in pratis, inquit, quod letifer anguis,
Dum præceps fugerem, diro me dente petebat.
Et memini, cùm me mater non vana monebat:
Serpentem fuge nate, sui nam vulnere morsus
Perdidit ah! nostrum serpens genus, omnia pestis
Peruasit, fuge nate, furit vis atra veneni.
Deinde canebat, vti labem contraxerat orbis,
Vt mortale genus tristis corruperat arbos:
Et fortunatos si nunquam poma fuissent
Mortales, pomum quos ah! fatale peremit.
Clade in communi rerum, generísque ruinâ,
Narrabat vitio exemptam, maculáque carentem
Parthenidem, nondum terræ concreuerat orbis,
Nondum mundus erat, cùm iam formata puella.

Ac dictis ne vana fides, præsagia priscæ
Pandebat legis. Sodomæo vt sospes ab igne
Vna domus, merso ratis vna superstes ab orbe
Restaret, medios tuta vt virgulta per ignes
Montis Horebæi, flamma in crepitante, virerent.
Addit, ad effusos ruptis vt nubibus imbres,
Nil accepit aquæ vellus Gedeonis, vbi ingens
Area perfusis latè stagnabat ab vndis.
Omniáque immunem communi à labe puellam
Tot rerum ostentis portendere signa docebat.
Tum ventura canit, quo tempore Parthenis orbi,
Quàm serò dabitur, primis vt deinde sub annis
Cælicolûm pactam regi, sacrísque iugatam
Ominibus cum matre pater sacrabit ad aras:
Exin vti castum cælesti pondere ventrem
Sentiet afflatu diuini numinis auctum.
Nam matris simul illa decus, simul illa pudicæ
Virginis intactum florem seruabit, & omni
Virgo parens latè in populos celebrabitur æuo.
Tum tibi Nympha aras, tum surgere templa videbis,
Affusósque aris populos, ipsique Sabæi,
Ipsi Arabes sua thura ferent, & marmore puro
Templa dabunt, totóque potens dominabere mundo.
Tu tamen interea nostris cantabere siluis
O mulier diuina, suo te murmure riui,
Te rus omne canet, certis tibi dona diebus
Omnis portabit patrio vicinia ritu.
Pars & primitias frugum, cum lacte recenti,

Et

Et tostas fruges, & adorea liba sacrabit.
Felices nimiùm pastores ô! quibus olim
Te primùm dulces venientem lucis in auras
Cernere contingat, quando, si credere dignum est,
Montibus in nostris, pastores inter, & agnos,
Tu, Virgo, vitam accipies, luménque videbis.
O si, pastores, ætas me vestra tulisset:
Primus ego legerem flores, cunabula primus
Floribus ornarem variis, & dona pararem,
Insuper & calamo carmen modularer agresti.
Namque tuum numen, quo non præsentius vllum,
Sentiet omnis ager, pomis curuabitur arbos,
Grandia fœcundæ distendent horrea messes,
Et pecudum plenis manibus pressabitur vber.
Et iam nostra tibi sacramus ouilia, iámque
Fœturam gregis, & pecudes cum lacte vouemus.
Ramus vt arboribus decori est, vt montibus arbos,
Vallibus vt rigui fontes, vt fontibus vmbræ,
Tu decus omne tuis, nostri tu gloria ruris.
Et dum flumen aquas, & habebit campus aristas,
Immortalis erit nostro tua gloria ruri.
Ipsæ te pecudes, ipsi cum matribus agni,
Ipsæ te valles, ipsa hæc arbusta loquentur.
Talia cantabat: repetebant omnia læti
Pastores, læta repetebant omnia siluæ.
Ex illo, per agros circùm, per pascua, Nymphæ
Parthenidi seruatus honos, & certa quotannis
Dona parata, suis decor, & laus addita donis.

Nec iam per siluas inhonestos Agaris ignes
Cantabant pueri, nec iurgia sæua superbæ
Aut Dalilæ, aut miseri illusos Samsonis amores.
Omnia Parthenidem celebrabant carmina, & vnam
Parthenidem rupes, vnam deserta canebant.





IN VIRGINEM NASCENTEM

ECLOGA III.

CANTILENÆ.

IONATHAS. ATYS.
INTERLOCVTORES.

Celebrant alternis versibus Virginis natalia.

DVM molles Ionathas sub culmine Thaboris agnos
Pascebat, cantu Ionathas leniſſimus vnus,
Iſto monte ſuper, dulces qui paſceret agnos.
Venit Atys, cantando & Atys quoque magnus, & ipſi
Par Ionathæ, iuuenes ambo, & cantare parati.
Cui Ionathas; ION. *Cur non quando huc cõuenimus ambo,*
Tu canere, ipſe bonus tibi reſpondere canenti,
Ad mollem fagi iſtius conſedimus vmbram,
Muſcus vbi, & ſaliens hæc inter gramina riuus.
Hîc tenero cithyſus pecori, lotíque frequentes,
Et lenes Zephyri, & dulcis cantantibus vmbra,
Hícque ſuus paſto potus non deerit ouili.
ATYS. *At nos diuinæ inuitant natalia Nymphæ.*
Nam fatis promiſſa, polo delabitur alto
Progenies, charæ quam matris ab vbere vidi
Pendentem, ſera è pratis cùm nocte redirem.

Et nisi nostrorum vana est prudentia vatum,
Hanc reginam orbis quondam, sed servus habebit.
ION. *Audieram dulces hîc quondam, lucis in auras*
Venturum infantem, qui nos in sceptra referret.
ATYS. *Audieras, & rumor erat non vanus, & ipsos*
Sæpe mihi id quondam memini narrasse parentes.
ION. *Et nos præterea cessabimus? Omnia quando*
Dulcis Aty, natâ de Virgine certa reportas.
ATYS. *Carmina nos Nymphæ, non deerunt carmina nobis,*
Dicamus, dicenda neget quis carmina Nymphæ?
ION. *Imò ego, namque tibi non deerunt carmine laudes,*
Virgo, tuas tendant qui dicere, dona parabo.
Sunt mihi bisseptem puri candoris olores,
Quos aluere suis nymphæ Libanitides antris,
Et cantus docuere, vagi dum vallibus errant.
Hos ego, dum crescis, multâ bene sedulus arte,
Te, Virgo; laudésque tuas cantare docebo,
Vt tecum ludant faciles, cantúque perenni,
Vespere te summo, primo te mane salutent.
Illos oro vt ames, nam semper amaberis illis.
ATYS. *Carmina non deerunt, si nobis munera desint,*
Nam pater, & parcæ dura inclementia matris
Me prohibet, ne quidquam ausim promittere Nymphæ.
Est mihi Betlemiis olim compacta cicutis
Fistula, quam Phinees dono dedit, Issachar illi
Donarat, nostris qui primus carmina siluis
Et calamo docuit componere, & addere voces
Cantibus ad numerum, certâ sub lege, coactas.

Hâc regem sæpe Assyrium, cùm vana tumeret,
Implerétque suos falsis mugitibus agros,
Cantabat bonus, & socios cantare docebat.
Jlla tuas, Virgo, cantabit fistula laudes.
ION. *Quamquam sis vates nostris pastoribus vnus,*
Nec tua vicinæ celarint carmina rupes,
Non tibi, si certes, celebranda in Virgine, cedam.
ATYS. *At quis te, Virgo, magno satis ore loquatur?*
Aut dicat te digna? tuo ni munere dicat.
ION. *Qui molli nuper pratorum stratus in herba,*
Cantabam flores, & quæ sit gratia florum:
Nunc te, Virgo, canam, primo quæ lucis in ortu
Iam potes ore tuo splendorem vincere florum.
ATYS. *Verùm ego, qui Lunam in siluis, Solémq; canebam*
Auricomum, tum quæ Lunæ, quæ lumina Solis,
Nunc totis tua, Virgo, canam natalia siluis,
Quæ Solem, & Lunam primo iam vincis in ortu.
ION. *Omnes nascenti vos ô! concedite Nymphæ,*
Seu quas primus habet, seu quas habet vltimus orbis
Formosas, primo quæ vix sub limine vitæ,
Et potuit iam tum, & meruit diuina videri.
ATYS. *Nonne vides, cùm mite solum se vere benigno*
Induit in flores, ramis exultat opacis
Omne nemus, montes, & prata virentia rident.
Talis prima fuit ridentis gratia Nymphæ,
Primum oculis matri cùm respondebat amorem.
ION. *Qualis in irriguo cùm mollis amaracus horto*
Crescit, & ambrosium crescendo fundit odorem;

Sic virtus tua, Virgo, tui sic gratia vultus
Crescet, & ipsa suum crescendo fundet odorem.
ATYS. *Forsan & ipse etiam, quos Nymphæ sidera mores,*
Dum crescat, veniátque suis cum floribus ætas,
Et quæ fata parent, canerem, si blanda canenti
Gratia, si digni spirarent Virgine cantus.
ION. *Cresce puella, tibi crescit quæ plurima myrtus,*
Vallibus his, nec aquas, nec iniquos sentiat æstus.
ATYS. *Nascenti myrtus si sit gratissima Nymphæ,*
Nec rosa, nec violæ myrtos, nec lilia vincent.
ION. *Matres ferte rosas, vos lilia ferte puellæ,*
Vt texam Nymphæ lecto de flore coronam.
ATYS. *Tollite vos matres, vos tollite serta puellæ:*
Sidera descendant cælo, Nymphámque coronent.
ION. *Saltem purpurei per gramina crescite flores,*
Quos legat, & nitido componat pollice Nympha.
ATYS. *Floribus at sat erit, si sub vestigia Nymphæ*
Surgant, vel sacro pressi pede surgere sperent.
ION. *Cùm pratis præsens aderis, non carmina deerunt*
Culta, nec incuruo resonet quæ tibia buxo.
ATYS. *Túque hîc inter oues frondosi fontis ad vmbram,*
Sublimis musco frigus captabis opacum.
ION. *Nec te pœniteat pecoris diuina Puella,*
Pauit & ipsa greges quondam formosa Rachelis.
ATYS. *Tum nostri Agricolæ, quando tua numina norint,*
Te votis facilem segeti, pecoríque vocabunt.
ION. *Spem facit agricolæ prima sementis in herba,*
Pastori fætura, gregi spem gramina, riui

Graminibus, tua, Virgo, tuo natalia ruri.
ATYS. *Graminibus pecudes, & gramina vallibus imis;*
Imæ fluminibus valles, & flumina ripis,
Arboribus ripæ; nos spe gaudemus amantes.
ION. *Ipse, sinat mater, placeant quæ munera mittam:*
Namque locum vidi quo congessere columbæ.
ATYS. *Sunt mihi cana nouem molli lanugine, nuper*
Sepibus in nostris, quæ mala Cydonia legi.
Estque domi dilecta soror, quæ munera portet,
Et dicat: Virgo, qui mala Cydonia mittit,
Mittit & ipse animum, tu munus & accipe, & illum.
Desierant, at oues vt erant circùm, atque iuuenci;
Obstupuere & oues cantum, obstupuere iuuenci.

IN VIRGINEM NASCENTEM

ECLOGA IV.

MVNERA.

Virgini nascenti parant munera Pastores.

ITE boues, omnis pagus vacat, ite soluti
Vomeribus, rastrum vacuus deponat arator,
Festum pastor agat, tua sunt natalia, Virgo.
Hæc viridi è tumulo, terebinthum subter opacam,
Diuinus Lysias, turbâ spectante, canebat,
Idem pastorum Lysias, ouiúmque magister.
Accurrunt nymphæ ad cantum, properántque vocati

Agricolæ, qui dona parent, porténtque Puellæ.
Et prior ante alios presso cum lacte ferebat
Insignes maculis, capra è candente, gemellos
Beliefer, primo ceruix quibus ardua cornu:
Ceruicémque super lecto de flore corona.
Sedula Tamarias, cum Beliefère marito,
Lilia cana nouem dono fert, fértque hyacinthos,
Florenti nexos, & permixtos amaranto.
Fert Iocabe fructus, horto cui diuite multi
Pendebant ficus, & mitia poma rubebant,
In musco ficus, in vimine poma ferebat.
Portat cum famulis & dura coniuge Beris,
Frondosi qui summa colit pineta Sionis,
Diues agri, diues pecoris, vitísque nouellæ,
Primitias frugum; properatáque liba per herbam
Expediunt famuli, perfundunt lacte placentam,
Tum parco melle intingunt, onerántque canistris.
Fert turdos Ionathas, visco qui sæpe tenaci,
Retibus aut tensis, aut ficta carmine vocis,
Et fallebat aues, & eas cantare docebat.
Tum bonus ipse etiam exemit quæ subere Phison
Cerea dona cauo, puro cum melle parabat.
At felix operum, quæ nullis vna puellis,
Seu tereti lino, mollis seu vellere lanæ
Ducat opus, ducti concedat munere fusi,
Dina laborati textum admirabile lini
Portat diuinæ chlamydem factura puellæ,
Docta & acu linum, docta & deducere fuso.

Bernice

Bernice certis, cui plurima mulctra diebus
Spumabat, sinum lactis parat anxia, & addit
Lacti pruna, rosásque suus quæ Beris amabat;
Et ni, Virgo, tibi seruasset, Beris haberet.
Ducit Atys geminas ipsa cum matre capellas,
Spem gregis, & blandæ solatia prima sororis,
Quæ bis & ad mulctram veniunt, bis & vbera tendunt.
Vtque suo quoque non desit sua gratia dono,
Et lotas nitidis in fontibus, & bene pexas,
Atque rosa, atque thymo, atque apio frondente coronat.
Non procul hinc plexis redimitæ tempora sertis
Thaborides nymphæ per florea rura vagantur.
Arbuteis quæ serta legant portanda canistris,
Et thymbram, & violas, & cætera munera ruris,
Munera diuinæ cunis spargenda Puellæ.
Pars molles calathos florenti texit hibisco,
Pársque legit flores, calathos pars floribus implet.
Dum parte ex alia pastorum rustica pubes
Vino hilaris, dulcem vicini fontis ad vmbram,
Virginis agresti laudes meditatur auenâ.
Quos etiam monitis Lysias hortatur, & vrget.
Vos ait, ô, quibus est lectos per gramina flores
Quærere amor, mecum nascenti serta Puellæ
Carpite, & eximiam imprimis de flore coronam
Texamus, mollique thymum iungamus acantho:
Spirat dulce thymus florenti iunctus acantho:
Et densâ Nymphæ cunas aspergine florum
Ornemus, capitíque suos addamus honores.

Namque Dei, si vera fides, & credere dignum est,
Quondam mater erit, nec eam ventura silebunt
Tempora, si meritæ norint præconia famæ.
Ecquis erit tantam inter vos qui dicere Nympham
Audeat, & blando teneat spectacula cantu?
O mihi si primi redeant cum viribus anni,
Qualis eram, cùm me calamo donauit eburno
Mathatias, celebrata olim ob certamina fratrum;
Quali, Virgo, tuas cantarem carmine laudes!
Vos quibus est animi vigor, & vis blanda canendi,
Vos ô nascentem pastores dicite Nympham.
Egregium victoris erit pro carmine munus,
Molle pedum, flauo extremum quod vinxerat ære
Bananias, moriénsque mihi donarat habendum.
Addam vtrem paribus calamis, & follibus aptum.
Ore fauete omnes, & cingite tempora lauro.
Sic fatus sumpsit laurum, quam tempora circum
Imposuit: sic fidus Atys, sic cætera turba,
Et certare alacres, & iam cantare parati.
Carminibus dictis, tam lætæ lucis honorem,
Per patrios montes, vicináque rura, quotannis
Indixit Lysias solemnem semper habendum.





IN VIRGINEM TEMPLO PRÆSENTATAM

ECLOGA V.

VIRGINES HEBRÆÆ.

HELISABE, SVSANNA, DEBORA, SALOME,

Ad templum properant; vt Virginis se ad aras deuouentis pompam videant.

HEL. *QVO vos ô fidæ comites properare paratis?*
DEB. *Ad tẽplum, nos festa vocant spectacula tẽplo.*
Quò tu autem? nam te miror procedere solam
Helisabe, quò tendis iter? HEL. *Quò tenditis ambæ,*
SVS. *Hoc tibi dura adeò potuit permittere mater?*
HEL. *Ipse pater, clam matre, domo discedere iussit;*
Quod nunquam sineret duræ inclementia matris.
Nam dum fortè domo se matutinus agebat,
Audiit in totam quod spargi cœperat vrbem,
Delubro in magno spectacula certa parari;
Virgine ab Hebræa, Hebræis visenda puellis.
DEB. *Me quoque qui ritus, quæ sint spectacula porro,*
Visere vult mater, neque me pater ire recusat.
HEL. *Tu sine me comitem mea Debora, & inter eundum,*
Quæ Virgo, quam rem demum paret, ordine pande.
DEB. *Est templo mihi fida, tibi bene nota Salome*

Vna ſacris alias inter deuota puellas:
Illa domum miſit, qui me cum matre moneret,
Quid rerum in templo, quo ritu Virgo pararet
Trimula, regali prognata è ſanguine Virgo.
Tum matrem (namque hæc ſpectacula ſemper amauit
Mater) amor cepit, quid ferret pompa, videndi.
Et mecum templo ſeſe promiſit ituram.
Non tulit id genitor, matri ne turba noceret
Affectæ, ſextóque vterum ſub menſe ferenti.
Huc feſtino autem, matri quæ viſa reportem.
HEL. *Olli quod nomen, quæ ſit fortuna Puellæ,*
Quod genus, aut quâ ſpe tam blandæ ætatis ad aras
Se voueat, referet quæ nouerit iſta Salome.
SVS. *Non longum eſt quod reſtat iter: ſed fortè, priuſquam*
Venerimus, ne ſe deuouerit illa, veremur.
SAL. *Quæ vos ô lentæ tenuit mora tanta puellæ?*
Pompa omnis perfecta, ſuam ſtat victima ad aram.
SVS. *Hanc fecere moram longa interualla viarum.*
DEB. *Singula, quando aderas, non te narrare pigebit,*
Dum vacat, extremâ namque huc ex vrbe venimus.
SAL. *Dicam equidem, neque vos longo ſermone morabor.*
Principio niueis ingens in veſtibus ibat
Turba ſacerdotum, quæ carmina ſacra canebat.
Tum pueri tortis euincti tempora ramis
Ardentes manibus tædas de more ferebant.
At Virgo, puri qualis roſa plena pudoris,
Ore rubens, linóque caput velata recenti,
Ibat: eam circum, flores lauróſque virentes

Vimineis nymphæ calathis', & serta ferebant.
Flauentem leuis aura comam spargebat eunti.
SVS. *Illam si quid amas, meruit quæ talis amari,*
Cur nomen celas nos Virginis huius amantes.
SAL. *Parthenis est nomen, tenuis fortuna Puellæ.*
Sed genus est prisco regum de sanguine clarum.
Vt ventum ante aram, prostratæ fundimur omnes,
Orantes multam sacra pro Virgine pacem:
Stabat at illa animi fidens, arásque tenebat
Multa Deum verbis testata, Déique ministros.
Iuxtà aderat, lacrymísque sinum replebat obortis
Anna parens, natámque Deo parere monebat.
Illa Deum affatur. Nos blanda in Virgine fixæ
Spectamus, quò vota ferant, quid munera portent.
Tum qualis nobis, & quàm diuina videri
Cœpit! honos oculis nouus, & decor additus ori.
Mirabar tacitè mecum, & suspensa pauebam.
Sed magis obstupui, cùm sic exorsa profari.
Accipe prima mei voueo quæ dona pudoris,
O Pater, æternum da virginitatis amorem,
Da colere, atque omnem sit fas odisse hymenæum.
Talibus orantem dictis, arásque tenentem
Mille rosis, vt erant circum, texere puellæ:
Tum carmen cecinere: modos & verba notaui.
Cedite virginibus, vos ô iam cedite matres.
Nec nos innuptas nuptarum gloria tangat,
Vna super reliquas Virgo memorabere matres,
Soláque virgineum seruabis mater honorem.



Postremò Anna parens vocem tollebat anhelam
Attonitæ similis, fidens i nata, hymenæos
Sperne omnes, túque insigni lætabere facto.
Tempus erit, cùm mille æuo florente puellas
Spernere dotales tecum mirabere tædas,
Quas pudor æternus sacro velabit amictu
Cælesti pactas sponso, & tua facta secutas.
Talia dicebat simul, & simul ora rigabat
Lætitia illacrymans, natámque amplexa tenebat.
SVS. *Quæ turba ô comites? Quin cedimus.* HEL. *Hei mihi! velum*
Rumpitur. Oppressæ fer opem Susanna sorori.
SAL. *Virgo redit, cernis venientem: multus inumbrat*
Flos caput. DEB. *Vt vultus blandè demissa modestos*
Incedit grauis, & toto spectabilis ore!
HEL. *O fortunati, qui te genuere, parentes*
Tam dignam, nostros cui deuoueamus amores!
SAL. *Ite domum, sero inclinat nam vesper olympo,*
Cùm iam pompa omnis processerit, ite puellæ.
SVS. *Hac iter est breue per diuortia certa viarum,*
Et callis secretus: habet nam cætera vulgus.
HEL. *Post turbam lentæ, manibus per mutua nexis,*
Ne nos dispersas agat in diuersa, sequamur.
DEB. *Si priùs audissem, quid talis pompa tulisset:*
Ingens myrtus erat tecti in penetralibus altis,
Fregissem ramos, & Nymphæ serta tulissem.
SVS. *Nescio quæ blandâ, comites, dulcedine mentem*
Vis agit, expertem thalami stat degere vitam;

Aspernata viros diuino sponsa marito
Virgo datur, quid non nobis sperare licebit?
HEL. *Si fas cælestis thalamos optare mariti,*
Non ipsa abnuerim mortales spernere tædas.
SVS. *Digna Deo tu sponsa, viros si despicis omnes.*
DEB. *Quid faceret, qui te tot agris dotalibus ambit*
Ananias? cui te, vt perhibent, pepigere parentes.
HEL. *Sunt aliæ in Solymis, quarum connubia poscat.*
SVS. *Quò ferat ille suos à te despectus amores?*
Quin fucum, comptásque comas, vnguentáque amantis,
I potiùs, sequere, atque animos submitte marito.
HEL. *Te potiùs sequor, & tecum connubia sperno.*
SVS. *Quid si dura premant inuitam iussa parentum?*
HEL. *Hinc fugerem, & montes errarem sola per altos*
Venatrix: liquidi præberent pocula fontes.
Interea mixtis lustrarem Galgala nymphis,
Frigus vbi captare, dies cùm plurimus ardet,
Fas foret, & lectos tibi Partheni nectere flores.
DEB. *Verùm ego, Virgo, tui mores imitata pudoris*
Ante aras, ipso tecum consumerer æuo:
Seruarémque tuos, tua per vestigia, gressus.
Illæ hæc inter se dum miscent verba puellæ,
Hásque agitant alto curas sub corde, redibant.



IN VIRGINEM ANNVNCIATAM

ECLOGA VI.

SIBYLLA.

Sibyllam Erythræam, quæ fortè venerat ad Iordanem, dum consulunt duo pastores, mira audiunt ab illa, de Virgine suo in rure nascitura.

VRANIDES *Musæ, quando diuina paramus,*
Et vos diuinum vati concedite carmen.
Non omnes tenuis cantus delectat auenæ.
Fortè suas pastum pecudes ad gramina nota
Valle in deserta Sephis ducebat, & Arnon,
Insignes iidem calamis, iaculisque periti.
Dúmque vnà quærunt Lysiam (spe carminis ambos
Iamdudum Lysias incenderat) ecce sub antro,
Cùm iacet ipse sibi indulgens, videre iacentem,
Et carmen petiere. Senex, dum multa recusat,
Ite, ait, ô pueri, non deerunt carmina vobis.
Ite, & Erythræis quæ nuper venit ab oris,
Carmina quæ vultis diuinam orate Sibyllam.
Hanc fama est vitream liquidi Iordanis ad vndam,
Excelso stantem in scopulo, sub rupe cauata,
Euentus rerum populis aperire futuros.

Illa

Illa colit filuarum vmbras, & sola sub ipsis
Litoribus, nemorúmque recessus inter opacos,
Degere amat, montésque feros, vmbrásque silentes
Affari; vt serâ nuper mihi nocte canebat
Alcimus, amissis qui tum responsa Sibyllam
Orabat tauris, & se vidisse ferebat.
Ite, ego dum pastas pecudes ad tecta reduco.
Vos ô! quæ nouit rerum ventura, Sibylla
Vos longè doceat melior. Mandata capessunt,
Corripiúntque viam, quà semita ducit ad amnem.
Vt fluuium venêre, moram nam longa viarum
Aut spatia, aut passim obiectæ per confraga valles
Non fecere, vident stantem sub rupe Sibyllam,
Speluncæ ante fores, densis quam plurima ramis
Vmbrabat latè fagus, fagique sub ipsis
Carmina scribebat foliis spargenda per auras.
Quos virgo vt vidit, subitum testata furorem,
Exclamat, saxóque ambos affatur ab alto.
Accipite hæc animis, rerum quæ maxima vobis
Edico, ô pueri. Vestris nascetur in oris
Pura animi Virgo, quæ quamquam illæsa pudoris,
Dici mater amet. Manibus vos lilia plenis,
Lilia virgineæ pastores spargite matri.
Quæ flauam vitrei quondam Jordanis ad vndam
Paupere sub tecto, proiecti in stramine fœni
Authorem rerum, cœtus non passa viriles,
In lucem dabit. Ah! quanto se tollit honore
Cælestis puer ille? Dei quantum instar in illo est?

D

Ite, ô pastores, pastorem agnoscite vestrum:
Sternite humum violis venienti, & spargite flores.
Salue magne puer, cæli cui sidera parent:
Venisti errantes longéque per auia sparsas
Cogere oues, pacémque tua pro gente pacisci.
Debebit vestræ prima incunabula rupi,
Betlemij colles: nascenti carmina dicent
Pastores passim vicino è rure vocati.
Nec tu quamquam atrâ nascentem nocte tacebis
Lunâ Deum. Totis celebrent qui gaudia siluis,
Cælestes aderunt pueri, perculsa sonabunt
Saxa, omnésque ibit felix hæc fama per agros.
Ipsi etiam Eoo reges à Sole profecti,
Et puero dona ampla, almæ & dona ampla parenti
Portabunt, illis è summo sidera cælo
Monstrabunt regem vestris in rupibus ortum.
Sed tam iusta autem turbabit gaudia casus,
Crudeli, mater, ne sit mora, cede tyranno,
Cede puer, vobis cladem exitiúmque ferenti.
Quos ah! tum gemitus, quæ tum suspiria ab alto
Corde dabit Betle infelix? Cùm mœsta dolebit
Vi durâ regem expulsum, & longinqua petentem
Exilia. Hos fletus, has porro mitte querelas.
Namque tuis, certum post tempus, redditus oris,
Se signis populo egregium, fandíque potentem
Ostendet, virtúsque viri manifesta per omnem
Splendebit latè factis ingentibus oram.
Vos eritis testes ripæ, cùm voce magistrâ,

Et monitis plebem effuſam mulcebit amicis :
Quem populi quamquam ſtupeant inſueta loquentem,
Te, mater, felicem vteri, felicia dicent
Vbera, quæ talem quondam pauiſtis alumnum.
Quid video? Niueam chlamydem cruor ater inuſſit,
Purpuream veluti ſi quis calcauerit vuam.
Ah! tibi quis tantùm puros infecit amictus
Blande puer! Sed quæ me autem ſpectacula terrent?
Nos inconceſſâ decerpſimus arbore pomum,
Tu pœnam luis : ah ignoſcite! namque quid auſus?
Quid meruit? veſtro, gens dira, ignoſcite regi.
Dum loquor, immiti plantas, & brachia trunco
Diſtendunt, ambáſque infigunt cuſpide palmas.
Palluit aſpectu Titan, noctiſque profundæ
Attonitos atro obduxit velamine vultus.
Parcite lamentis paſtores, parcite turbæ:
Pro vobis erat ille patri mactandus ad aram.
Perge puer diuine, tuo nos funere, vitæ
Reſtituis, cæléque vias, & ſidera monſtras.
Te duce candida pax, cùm fecerit otia terris,
Aurea languenti reparabit ſæcula mundo.
Tum cæleſti humiles ſudabunt melle myricæ,
Ipſi etiam fontes, ipſa & vaga flumina lacte
Vndabunt, nec veſtra lupos armenta timebunt.
Ille autem populum monitis melioribus actum
Sinceras fruges, & dulci è vite liquorem,
Taurorum pro cæde, patri mactare docebit;
Et precibus numen colere, & placare colendo.

In te tot laudum, mater, pars magna redibit,
Vna tuo matrum fortunatissima nato.
Tum tibi Relligio centum sublimia templa,
Centum aras, centúmque aris sacrabit honores.
Dictorum nec vana fides, nec sera sequetur.
Nec iam pastorem vestrum ignorate volentes.
Jlle suas & amabit oues, & amabitur illis.
Finierat; diuinæ ambo responsa Sibyllæ
Dum tacita rerum attoniti sub mente reuoluunt,
Ibant, & tantæ matri iam vota parabant.

IN VIRGINEM ANNVNCIATAM

ECLOGA VII.

VIRGO MATER.

Contentionem habet duorum pastorum.

QVÆ nemora, aut qui vos fontes, quæ rura tenebant,
Thaborides nymphæ? Vestri sub vertice montis,
Virgineâ cùm Matre super, miranda canebat
Azarias, istis vates non vanus in oris.
Mane rubent summo primi cùm lumina Solis,
Ad pastum pecudes cum Beride Charmis agebat,
Charmis oues, agnósque, capellas Beris, & hœdos:
Ambo ætate pares, pastores Thaboris ambo.
Et quamquam, vt monitis componeret inter vtrumque
Iurgia longa, bonus nil non faciebat Obedon;

Vsque tamen rixas, & iurgia longa ferebant.
Turbæ causa fuit Zelphe, quam Beris amabat.
Hanc formâ eximiam formosas longiùs omnes
Ire super, dum iurat, cum iurare parantem,
Turbidus in medio Charmis sermone repressit:
Cui Damaris, mundo Damaris nitidissima cultu,
Thaboridas longè nymphas super, vna placebat.
Dúmque sua Beris pro virgine plurima tendit,
Próque sua Charmis; Carmelo è monte redibat
Azarias animi vates maturus, & æui.
Namque Deo plenus prædicere multa solebat,
Et morem astrorum varium, pluuiique monebat
Agricolas, cùm rura serunt, præsagia cæli.
Quem prior vt Beris venientem vidit. Hic istam
Inter nos, inquit, poterit componere litem.
At senior ramo innixus frondentis acanthi
Restitit, & quæ sint, audit, quæ iurgia tendant.
Illi altercantes inter se multa ferebant:
Præcipuos nam quisque suæ tribuebat honores:
Verbáque dum verbis, probris dum probra reponunt,
Inque vicem rixantur, & addunt pignora rixis;
His vltrà, vates inquit, ne tendite rixis
O pueri! est, vestræ cui cedant, altera virgo.
Tum cælum blandè aspectans, paulúmque moratus
Abstinuit dictis, fari tum denique cœpit.
Audite ô pueri: vobis mysteria rerum
Aperio magnarum, & spes hinc sumite vestras.
Monte sub hoc, vbi primus oues, si vera vetustas,

Pauit Abel, calamo curas solabar agresti,
Incustoditæ dum per prærupta viarum,
Errabant toto passim sub monte capellæ.
Cantanti, calamóque animum, curásque leuanti,
Quæ mihi, quàm diuina dedit se virgo videndam?
Cui si vestræ ausint sese æquiparare puellæ
Desperent, sic vna alias supereminet omnes.
Nec tantùm puro cedit nox atra diei,
Nec niueis tantùm vaccinia nigra ligustris;
Quantùm aliæ cedunt isti, me iudice, nymphæ.
Quæ super ostensa cùm nuper virgine, nostris
Narrabam in pratis, stupuit vicina Cleone,
Displicuítque sibi, quamquam formosa, nec vlli
Lenibus aut oculis, aut mundo cederet ore.
Quid memorem lucentem auro, radiísque puellam,
Cui caput auricomum, & multo splendore nitentes
Ardebant oculi, ac formæ cælestis honores.
Vt vidi, attonito sensi sub pectore eosdem,
Quos animo inspirat Diuûm præsentia motus.
Ver purum blando spirabat ab ore puellæ,
Florebant sic labra rosis, sic ora ligustris.
Demissam ex humeris nectebat fibula vestem
Candida candentem; nam sese plurimus omnes
Fuderat ínque artus, ínque ipsos candor amictus.
Candida erat blandos vultus, & eburnea colla,
Candida ceruices, & tempora, candida vestes:
Candidus ínque sinu, villísque argenteus albis
Agnus erat, virgo quem blandè amplexa fouebat.

Virgo puellarum pulcherrima, maxima matrum,
Cui vestræ formâ nolint non cedere nymphæ.
Tum Charmis. Cedat, quamquam sibi sedula crinem
Componat Damaris, cœpit iam vana videri,
Quæ mihi prima rosas, cui primus fraga ferebam.
Ipsa etiam Zelphe, quâ non solertior vlla
Texuit aut calathos, aut florea serta parauit,
Seu templo seu serta, suo seu ferret amanti,
Beris ait, cedat Zelphe. Tu maxima Virgo
Nostras vna super longè memorabere nymphas.
At mihi quis te, inquit, tenuit quem candida Virgo
Pascendum, tener agne, dabit; te mane sereno
Florentem ad cythisum, per pascua nostra, vocarem,
Vmbrarémque apio caput, & frondente cypero.
Te riguæ exciperem herboso sub margine ripæ,
Gramineúmque thorum, tenera de fronde, pararem:
Mollis vbi æternos Zephyrus candore perenni
Ipse æternus alit flores, & amœna vireta.
Sertis cara soror, vittis te sedula mater
Ornaret, pexúmque manu mulceret, & herbas
Selectas daret, ac puros post pabula fontes.
Túque adeò ante gregem, nam grex tibi cederet omnis,
Ad prata, & fluuios, ipsa ante armenta præires.
Has agno, nympháque super, cum Beride Charmis
Cœptæ quisque sua demum pro virgine rixæ
Obliti, has ambo iactabant ore loquelas.





IN VIRGINEM E RVRE NAZAREO ABSENTEM, ET VISENTEM ELISABETHAM

ECLOGA VIII.

DESIDERIA.

ASOR, ALPHÆVS, ZEBEDÆVS, *INTERLOCVTORES.*

Deſcribit ruris Nazarei triſtitiam abſente Virgine.

ASOR. QVID *tu dulci autem tam denique lentus in vmbrâ,*
O Alphæe paras, quæ non fert carmina tempus?
Parthenis hos montes, hæc Parthenis arua reliquit.
ALPH. *Illud erat, præter ſolitum, quod triſte ſonabat*
Fiſtula, & abſurdis ſtridebat rauca cicutis.
ZEB. *Nuper & ipſe etiam, ſi mens non vana fuiſſet,*
Ipſe malum hoc certis poteram cognoſcere ſignis.
Ducebam molles ad paſcua nota capellas,
Cùm matutino tollunt ſe gramina rore:
Mirabar, quid colla noui languentia flores
Deprimerent, multo ſeu fors à ſole peruſti,
Liliáque, atque roſæ, atque immortales amaranti.
Parthenis hinc aberat, te Partheni lilia, & ipſæ
Abſen-

Absentem sensere rosa, sensere amaranti.
ASOR. *Est vlmus nostro, impendet quæ plurima ruri,*
Huc philomela, omnem celebris philomela per oram,
Assiduè veniebat, ibi modulamine iugi
Noctes atque dies, animi indefessa canebat.
Et præsens aderas cùm, Partheni, montibus istis;
Hæc canere vmbrosâ nunquam cessabat ab vlmo.
Nunc, quod abes, mœrens silet, atque in tristibus errat
Crebra gemens dumis, & sepibus in desertis.
ALP. *Partheni quando aderas, festum nemus omne canebat,*
Et frondes auibus, pastoribus antra sonabant,
Lætáque ab argutis resonabant prata cicadis.
Nunc nemus omne silet, nec iam pastoribus antra,
Nec frondes resonant auibus, nec prata cicadis.
ZEB. *Non pratis rigui fontes, non fontibus vmbræ,*
Non apibus deerant flores, non gramen ouili:
Te sine, & ipsi apibus flores, & gramen ouili,
Et pratis desunt fontes, & fontibus vmbræ.
Rapta simul nostri tecum solatia ruris.
ASOR. *Ibant audaces sola in deserta capellæ;*
Ibat ouis, felix ô! tum pecus, ipse & ouili
Parcebat lupus, arbustis calor, imber aristis.
ALP. *Ah! duris virgo nunc fortè in montibus erras:*
Nos pratorum vmbram, & frigus captamus opacum.
ZEB. *Vos ô! vos dulces Zephyri, riuíque fugaces,*
Et calamo toties pastorum, & voce locuti,
Dicite quâ, medium dum sol tenet igneus axem,
Abditâ rupe latet tum Parthenis? aut quibus oris

Inueniam errantem, vel quo ſub fonte ſedentem?
Ah! quamquam agreſtis ſit patria, ne tibi tantùm
Diſpliceat, poſtquam dulces te lucis in auras
Et tulit, & teneris toties dedit vbera labris.
ASOR. *Nam qui te poterunt nemorum tenuiſſe receſſus,*
Partheni? ſi patriæ ceperunt tædia terræ.
Hîc puri fontes, prætextáque fontibus vmbra,
Hîc nemus, & lætæ fruges, & copia florum.
ALP. *Aut quid abis? dũ fraga rubent, & frondet acanthus;*
Albentéſque rubi ſpinis florentibus halant.
ZEB. *Parcite oues ad ripam accedere, gramina ripæ*
Parthenidi ſunt ſacra: aberit dum Parthenis, iſtam,
Namque hoc litus amat, ne carpite graminis herbam.
ASOR. *Antè ſuo inclemens Boreas quàm frigore cælum*
Perturbet, fœdis aut imbribus ingruat Auſter,
Nympha redi, ne te aut imbres, aut frigora lædant.
ALP. *Eſt tibi ſepoſito qui floret amaracus horto,*
Sunt myrti ingentes, nam myrtos ſemper amaſti.
Si qua tibi eſt, fuerat florum quæ cura, venito.
ZEB. *Te matura, graui quæ pendent arbore poma,*
Te noſtræ inuitant miti iam cortice ficus,
Sed poma, atque ipſæ miteſcant denique ficus,
Nazareos donec colles, ac rura reuiſas.
ASOR. *Nympha redi: colles reduci ſe gramine læto*
Ornabunt, tibi lacte fluent, & nectare riui:
Aduentúque tuo noſtrum nemus omne virebit.
Flores agricolæ, paſtores dona parabunt:
Ipſe intermixtis portabo ſerta hyacinthis,

Mecum erit Azarias leui qui carmina buxo
Cantet, quæ quondam vitreum Iordanis ad amnem
Isacides citharâ pastor cantabat eburnâ.
Addam & iam mites vuas, & cerea pruna.
ALP. *At si longinquis in montibus otia ducis,*
Virgatum iunco calathum pro munere texam.
Hîc tibi Nazarei describam pascua ruris.
Te mœsta absente, & tristes per rura capellas.
Et quæ perspicuis manabat fontibus vnda
Ibit pigra situ sitientes inter arenas;
Languebunt campis segetes, & gramina pratis,
Quæque comam cælo nuper tendebat opacam
Læta abies, mœsto caput inclinata dolore,
Nympha, tuos reditus orabit, & omnia circùm
Flebunt, si fletus possint in vimine pingi.
ZEB. *Si nos respicitis superi, seruate puellam,*
Dum fugit, & cursu per agros contendit anhelo:
Dúmque aberit, quando hæc seruabat rura, precamur,
Ne riui exundent ripis, neu turbidus imber
Maturas vertat segetes, aut pascua fœdet.
ASOR. *Nocturnos prohibe, Virgo, à præsepibus ignes,*
Et defende rosas à sole, à frigore myrtos,
Dum tibi purpureæque rosæ, myrtíque placebunt.
Vt si fortè viæ quondam, patriæque relictæ
Pœniteat, sint te reducem qui floribus ornent.
ALP. *Ah! durâ si tendis iter regione viarum,*
Ne properes, solet esse grauis properantibus æstus.
Ah! ne sole calor te torridus vrat iniquo.

Quin potiùs ſuccede vmbræ, dum præterit ardor,
Inclinátque dies: nam quid te perdis eundo?
Aut cur æſtiuo tantùm te ſole fatigas?
ZEB. *Partheni, quid noſtros in longum ducis amores?*
Fortè tuas etiam mala fiſtula verberat aures,
Dum ſurdis patrij perdunt bona carmina ventis
Paſtores. Iſtâ tibi fiſtula pendeat vlmo,
Quando aberis, noſtri monimentum triſte doloris.
Nam dum te externis ſors dura moratur in oris,
Quis canat, aut patrio ſperet iam gaudia ruri?
ASOR. *Mærebunt noſtri montes, dum montibus abſens*
Indulges Virgo externis, per paſcua nullus
Cantabit Sabaris, nullus ſaltabit Anamis.
Omnia deſertis ceſſabunt carmina pratis,
Et riuis trepidi fontes languentibus ibunt.
Hæc ſuper abſenti cantabant carmina Nympha,
Vicinæ cælo referebant omnia ſiluæ.

IN VIRGINEM INVISENTEM ELISABETHAM

ECLOGA IX.

ABSENTIA.

Deſcribit profectionem Virginis ad montes.

V*Os mihi, quod veſtris quondam longæuus Amyntas*
Cantabat ſiluis, quicúmque audiſtis Amyntam,

Dulcia cùm patrio reddebat gaudia ruri,
Vos mihi diuinum pastores dicite carmen.
Ipsæ hoc namque & oues, ipsi cum matribus agni,
Ipsæ hoc, vt perhibent, stupuerunt carmine valles.
Errabant mœsti per agros Benonis, & Asor,
Ambo ætate pares, pastores Thaboris ambo,
Compulerántque greges vicini fontis ad vmbram,
Pascentes Arnon seruabat dum bonus agnos.
Absentémque ambo per deuia rura vocabant
Parthenidem, quæ non istis ad prata diebus
Venerat, absentem rupes & saxa sonabant.
Thaboris alta fuit decliui in valle cupressus,
Nobilis & flexu ramorum, & frondis opacæ,
Quam festis circum, calamo resonante, diebus
Et captare vmbram nymphæ, & cantare solebant.
Hanc præter dum mœsti irent Benonis, & Asor.
Illa ferat, nostri ostendat quæ signa doloris,
Asor ait, simul hæc, simul imo in cortice scripsit
Parthenidem absentem, nec longum tempus, in omnem
Rumor iit pagum, discurritur, vndique colles
Parthenidem rauci absentem, valléisque resultant.
Non tulit hanc speciem, montes qui nuper in altos
Duxerat, & Nympham fuerat comitatus Amyntas,
Processit turbæ in medium, cœpítque profari.
Audite ô pueri, vobis nam certa reporto
De Nympha absente, hæc montes concessit in altos
Plena Deo, ceu cùm surgens Aurora supremos
Se tollit primùm in montes, lucísque propinquæ


Spem mundo oſtendit, ſperatáque dona diei.
Nam poſtquam ſacro accepit ſub pectore Solem,
Promiſſum mundo Solem, quem tempore ſero
Venturum patres olim, vatéſque canebant,
Ire parat, ſummóſque ſuper ſe tollere montes.
Et quamuis ea cura animo vel prima recurſet
Cognatam iam fractam annis, vteróque grauatam
Solari, & pactæ gratari munera prolis:
Plus tamen acceptum numen vulgare per vrbes
Finitimas, tantámque orbi ſpem ferre parabat.
Quod potiùs reor, & potiùs fas credere duco,
Ioſeph filius Heli. *Ipſe nec egregio nymphæ dignatus Helides*
Connubio, quamuis celaret multa, negabat.
Ergo iter ingreſſi ferimur per opaca viarum;
Illa comam vittis, ſumma è ceruice, coërcens
Ipſum circa apicem, lino candente, premebat.
Nympham autem tacitè mecum mirabar euntem,
Et largo totos ſignantem lumine calles.
Namque vt diuinum ſancto ſub pectore Solem
Portabat, lux multa ſacro manabat ab ore.
Olli palmiferi toto qui tramite colles
Occurrunt, feſto interea ſua gaudia plauſu
Teſtari, rauco blandiri murmure fontes,
Et ſtrepere, & molles per ſaxa iterare ſuſurros.
Ipſæ etiam ripis volucres, & vallibus imis
Aſſuetæ, tenues viſæ geſtire per auras,
Et blando auditæ per dumos plaudere cantu.
Vóſque adeò montéſque caui, valléſque profundæ

Sensistis Nymphæ aduentum, nam culmina montes
Curuare, & valles vidi exultare profundas,
Exultastis agri plausu, exultastis aristæ.
Quid memorem summis cœptas se flectere cedros
Verticibus, rigidásque caput motare cupressos.
Ipsæ etiam quercus, & summa cacumina fagi,
Parthenidi ipsæ etiam tendebant brachia siluæ,
Et seges irrequieta, videndæ virginis ergo,
Tollebat caput, & rumpebant germina frondes.
Et stupefacta suos tenuerunt flumina cursus.
Vt ventum in montes, montanas vndique nymphas
Vidimus arbuteis flores properare canistris,
Et Nympham tegere, & nimbo cumulare rosarum.
Ipsi pastores ouibus venêre relictis,
Rustica multifori fundentes carmina buxo;
Dum lasciuus agris aries, hœdíque petulci
Persultant, teneróque procul sub gramine ludunt.
Parte aliâ tellus se mille coloribus ornat
Lætitiam testata, nouósque aspirat odores:
Et quocumque pedes virgo deflectit, amœnum
Pubescit nemus, & ramos inclinat olentes.
Ipsi Parthenidem rami, frondésque salutant.
Haud procul incolitur saxo fundata vetusto
Vrbs Hebron, vbi Zachariæ tecta alta subimus;
Dúmque domum vates nos accipiebat in amplam,
Parthenidi occurrit sese confessa minorem
Elisabe, quam Nympha sinu complexa verendo
Et premit, & fœtum gratatur, at illa repentè

Diuinos trepido sensit sub pectore motus,
Lætitiæque, vtero saliens, signum edidit infans.
Quo motu concussa parens longæua, Puellæ
Fata aperit, solo dum monstrat gaudia nutu,
Quod poterat senior, cui fandi erepta facultas.
Finierat, sed non poterant lenire dolorem
Pastores, Nymphâ absenti, namque omnia dura
Quando Virgo aberat, patriæ metuenda videbant.
Illi adeò, dum fortè æstum, curásque leuarent,
Valle sub vmbrosa, terebinthum subter opacam,
Absentem flebant alterno carmine Nympham.



IN



IN VIRGINEM PVRIFICATAM

ECLOGA X.

SACRIFICVLI.

AMASIAS, ADONIAS,
INTERLOCVTORES.

Apparatus ad Sacrificium expiatorium pro Virgine purganda.

AM. *O! quæ pura rubens inflammat sidera vesper,*
Puri ignes liquidis vos ô! purgate sub vndis;
Istam quando venit, quæ sese mundet ad aram,
Virgo pura magis puri vel lumine solis.
AD. *At dum Nympha venis, niuei tibi bina coloris*
Licia circumdo, & circum hoc altare reduco:
Nam te pura decent, ea prima piacula sunto.
Deinde suis & erunt ornandæ floribus aræ.
Interea plenis per florea rura quasillis
Carpantur lentæ myrti, carpantur oliuæ
Flauentes, festæ sint hæc insignia lucis.
AM. *Quando, Virgo, tibi purgandæ sacra paramus,*
Acceptæ nulla vt restent vestigia labis,
(Si tamen è partu labem accepisse putandum est)

Quærendus lymphâ primùm qui simplice fusus,
Et par crystallo fugiat per gramina riuus,
Tum puri latices isto de fonte petendi,
Quos non limus iners fundo turbauerit imo,
Et crebrâ vndarum lustrandum aspergine templum.
ADON. *Antè autem flammas adhibe, priùs omnia flammis*
Sunt lustranda, ter igne, ter aram thure vapora.
Nonne vides, nitidas flammæ quæ contigit ignis,
Purgari, & porro fuerant quæ lapsa refingi.
Tum, quæ vel flamma nondum purgauerit ignis,
Vel cocto non thure piauerit, eluat vnda.
At ne sulphureum fumo graueolente bitumen
Vre foco, tardúmve picis patiare vaporem.
Sed Libano lecti ante alios de monte petendi,
Qui puris permixti herbis vrantur odores.
Addendum quidquid tollendæ est vtile labi.
Debita, Virgo tibi partúque, vteróque solutæ,
Lustrandísque aris ne fors purgamina desint.
AM. *Tu fer aquam vacat vrna; & fundo inuerge capaci,*
Dum flammam expedio, ne quid quorum indiget vsus,
Cùm non tempus erit, frustra fortasse requiras.
At caue, subiectam latices dum fundis in vrnam,
Si supra morem spumauerit vnda, refundas,
Quæque natant labri summo spumantis in ore,
Dum licet, impuras quamprimùm reiice sordes:
Versis istam & aquis pateram purgare memento:
Omnia Parthenidi sint vt sincera piandæ.
AD. *Tu quoque præcepti partem tibi sume laboris,*

Ne, fuerant nobis quæ mox properanda, moremur.
Digere candentes prunas, focus vnde paretur,
Cunctáque cùm primùm fuerint digesta, sub aram
Thura fer, & iussos flammis asperge liquores.
AM. *Cernis, sponte sua, vt subitis altaria flammis*
Corripuit focus ipse, focum dum fortè parabam.
Dum flammæ exuperant, & plurimus æstuat ignis,
Tu flammis mecum collectos iniice odores.
Adde mares oleas, & olentem cortice cedrum,
Et quas ore malo grex nondum impresserit herbas,
Adde rosas, fumum imprimis compesce sequacem;
Ne vapor inficiat, quæ fors purgauerit ignis.
AD. *At dum purgandis spargebam altaribus vndam,*
Saxo sponte suâ nitor additus, aspice vt omnis,
Quæ modò sordebat tabo, nunc splendeat ara.
Hæc te, diuina ô mater, præsagia spectant,
Hebræas inter non dedignata maritas
Lustrari. Quin Virgo venis, dum sacra paramus.
Namque quaterdenos vetitam procedere soles
Ista dies istam te demum exspectat ad aram.
AM. *Nec tu, pura licèt, purgari sperne, serenos*
Expurgant vultus liquidis in fluctibus astra:
Quinetiam eximios candore videmus olores
Ferri ad aquas, studióque alacres gestire lauandi.
AD. *Desine plura, & ibi, quæ sunt prouisa, repone,*
Est aliud, quod nunc sacrorum postulat ordo,
Candenti lino præcingere, & ilia circum
Duc vittam, & magnæ, dic, necto vincula matri.

AM. *Poſtquam deuotas acceperit ara palumbes,*
(Nam geminâ eſt matri proles redimenda palumbe)
Tu diffringe alas, cælo ne fortè patenti
Elapſas fuga diſſipet, atque abſterreat aris.
AD. *Sepoſitos ignes incenſâ profer ab ara,*
Atque hæc verba adde. His, Virgo, purgabere flammis:
Vt flammis fuſi purgatur maſſa metalli.
AM. *Tu dum ſpargis aquas, has proderit addere voces.*
Vt magis hac crebrâ vndarum aſpergine ſaxum
Eluitur, ſic tu hac, Virgo, luſtraberis vndâ.
AD. *At tibi collectos, breuis eſt mora, nectere flores*
Cura ſit, & nexos ori fer, & apprime labris:
Et dic. Hos flores, hæc offero dona piandæ
Parthenidi; tanto ſit Parthenis omine pura.
AM. *Carmina mittamus, quod fert iam tempus agamus,*
Carmina multa ſatis, veniat modò Nympha, canemus.

IN VIRGINEM EXPIATAM ECLOGA XI.

LAVDES.

ZAMBRI. AZARIAS.

Virginem è templo redeuntem laudibus proſequuntur.

ZAM. AZARIA, *poſtquam perfecto munere mater*
Exportans natum ſacris purgata receſſit,

Et nos purgatæ debemus carmina matri.
Matri, cuius honos tollit se tantus Olympo,
Editus à terris quantùm se tollit Olympus.
AZAR. *Et quæ debemus, par reddere carmina Nymphæ,*
Nymphæ, cuius amor diuini dignus amoris
Fecit eum, cæli cui regia paret, amantem.
Quid cessamus? amet nostro se carmine dici,
Si nostri tantâ digni sint Virgine cantus.
ZAM. *Betlemij colles! quondam plorata Racheli*
Rura, cauis ô! nunc redeunti plaudite Nymphæ
Rupibus, & toto exultans è litore plausum
Jordanis, plausum ipsa omnis responset Jdume.
AZAR. *Tendis Betlemiæ dum, Virgo, per ardua rupis*
Balsama, vel si quid quàm balsama suauius vsquam est,
Sub pedibus, passimque virens nascatur amomum,
Ne sit is indignus, tantâ te Virgine, callis.
ZAM. *Ardenti Virgo ne fors se sole fatiget,*
Dum redit vrbe domum; non omnia possumus omnes,
Vos vmbram palmis, vmbram prætendite myrtis,
Pastores, meruit fieri sibi talia Virgo.
AZAR. *Ne nimium montana feras per saxa laborem.*
(Namque grauis montana labor per saxa) sonantes
Si ventos, dum tendis iter, nubésque timebis,
Carmine mulcebo ventos, nubésque tenebo.
ZAM. *Verùm ego dum Nymphæ clementis commoda cæli*
Orabam, nexísque arcendos frondibus æstus,
Jam blanda aspirat lenis clementia cæli,
Et solis sese nimij fregere calores.

AZ. *At vos, dum sponsæ sequitur vestigia sponsus;*
Lenti ite, in medio ne fors puer algeat æstu;
Neu dura infesti noceant incommoda cæli
Aut puero, aut matri, speratáque gaudia vertant.
ZAM. *Si patrij audierint me vates, publica totis*
Cantabunt Nymphæ redeunti carmina siluis.
AZ. *Et mihi pastorum pubes si rustica credat,*
Mille illi totis pendebunt munera lucis.
ZAM. *Nymphæ Betlemiis florent quæ lilia campis*
Concedant, summóque nitent quæ sidera cælo,
Et tu Luna, ardes cùm puro argentea vultu;
Concedat Sol ipse, auro dum lucet, & igni.
AZ. *O qui purpureis superos ardoribus ignes*
Accendis, seu mane nouo cùm prima per orbem;
Vltima seu sero cùm vespere lumina portas,
Lucide Sol, possis nil visere Virgine maius.
ZAM. *Sed puer ipse etiam est laudari dignus, & isto*
Quo mater (si fas) dicendus carmine nobis.
AZ. *Magna puer meruit, debet cui maxima mater,*
Vna suo matrum fortunatissima nato.
ZAM. *Illa sinu dum blanda fouet, vultúque puellum,*
Credo equidem teneris rapit oscula mille labellis;
Qualia nulli vnquam natus dedit oscula matri,
Quantáque vix vlla possint sperare parentes.
AZ. *Dúmque suam vultu matrem ridente fatetur*
Natus, amor matris iam non sua gaudia celat.
Nec iam dissimulas, quamuis pudor obsit amori,
Quem nuper, Virgo, nolebas matris honorem.

ZAM. *Vberibus matri dum turget lacteus humor*
Distentis, longùm mammis indulgeat infans.
AZ. *Et dum tam puri liquidos bibit vberis haustus,*
Crebro hunc amplexu permulceat optima mater.
ZAM. *Cùm primo nomen matris tentabitur ore,*
Ne stupor impediat pueritis murmura linguæ.
AZ. *Et cùm iam pedibus vestigia figere certis*
Incipiet, petat amplexus, petat oscula matris.
ZAM. *At quoties labris nati imprimet oscula mater,*
Florentes tot ab ore rosas, tot lilia carpat.
AZ. *Et quoties natus pendebit ab vbere matris,*
Impresso puras tot ducat ab vbere gemmas.
ZAMB. *Matris in amplexu tantùm venientibus annis*
Cresce puer, quantùm primi sub tempore veris
Vallibus in riguis, & opacæ matris in vmbra,
Surculus aërias se tollere sueuit in auras.
AZ. *Ah! puer in quantos crescis cum matre dolores?*
Nec te pœniteat puer ah! diuine laborum.
Si qua fides monitis vatum, tu sanguine fuso
Polluti quondam purgabis crimina mundi.
ZAMB. *Fortunate puer, tenues quem lucis in auras*
Fudit pura parens, & puro nectare pauit.
AZ. *Fortunati ambo, quorum se legibus Orbis*
Inclinat, magnúsque olim parebit Olympus.
ZAMB. *At magnus quamquam vobis parebit Olympus;*
Has laudes nostri ne spernite pignus amoris.
AZ *Quòd si, Virgo, tuum non est audacia numen*
Orare, oramus te, per tua gaudia, natum.

ZAM. *Pérque sinus illos, quibus arctè se implicat infans,*
Inuoluítque tui, mater, securus amoris.
AZAR. *Te per & illa tuo, quæ pressas vbera nato,*
Quæ pressas nato cælestibus vbera palmis.
ZAM. *Per dulces pueri risus, per dulcia verba,*
Verba inter blandæ, quæ frangit, murmura linguæ.
AZAR. *Per quidquid dulci in puero tibi dulce futurum est.*
Da facilem, inquirit si nostra in crimina, natum.
ZAM. *Et quamuis regem cæli alta palatia natum,*
Quamuis reginam te, Virgo, sidera sperent,
Vt nostri memorant vates, & credere iustum est:
Téque, tuúmque, feras si nostra hæc munera, natum
Semper flore nouo, semper venerabimur aris.



IN



IN VIRGINIS OBITVM

ECLOGA XII.

SVSPIRIA.

Deplorant Virginis mortem Paſtores.

FLEBAT *depoſito ſub vomere triſtis arator*
Extinctam fatis, & iniquo funere raptam
Parthenidem; patrij fuerat quæ gloria ruris:
Flebat turbato ſtupefactus paſtor ouili;
Flebant agricolæ, flebant armenta; neque vllum
Solamen mœſti agricolæ, aut armenta ferebant.
Sed magis ante alios puer Alcimus, & puer Ammon,
Quos bona formabat Virgo, & diuina docebat,
Flebant, dum Lyſias prima ſub luce ferebat
In calatho tritos patriæ felicis odores,
Extremum munus tumulo, & ſuprema parabat.
Dúmque ipſo tumuli ſub limine fuſus, & amens
Alcimus hærebat lacrymans, Nympbámque vocabat.
Verùm vbi compreſſit ſuſpiria prima doloris,
Rupibus hæc mœrens Ammon iactabat & auris.
Poſtquam crudelis rigida inclementia fati
Te rapuit, rerum longè ô pulcherrima Virgo;
Quid faciam? Tu diua tuo nos funere perdis.
Tu patrij affatu mala iurgia ruris amico

Sedabas, tu rebus eras solamen acerbis.
Vidi sæpe meos, dum me diuina monebas,
Herbarum immemores tauros hæsisse, nec ausos,
Virgo, tuas vllo mugitu rumpere voces.
Te saxa & fontes, te conigeræ cyparissi,
Te valles, montésque feri obstupuere loquentem.
Fulmina nigranti si quando è nube ruberent,
Accensa in nostras segetes, suspensa tenebas,
Tollebásque metum, quin nostris sæpe solebas
Vel dare, vel nimios auertere messibus imbres.
Parthenis & vitæ iam non mortalis amorem
Instituit, gentémque suam compescere iussit
Spes inconcessas, & inania ponere vota.
Parthenis & duros cultu formabat agrestes,
Et placare graues offensi numinis iras
Monstrabat, moresque nouos, noua sacra docebat:
Addebátque animum dictis, cùm læta piorum
Præmia pandebat memorans, pœnásque nocentum.
Nunc autem, Virgo, quid post tua funera sperem
Perditus? an durem inuisæ fastidia lucis?
Quin potiùs longè absisto, indulgénsque dolori
Collem in secretum, & nemora in deserta recedo;
Hîc vbi siluarum secessus inter opacos,
Æternùm mœrens, & lucis abditus atris,
Possim perpetuis consumere fletibus æuum.
Plantabo vmbrosam nigranti ex ilice lucum,
Et luco in medio pallenti è fronde cupressum,
Quam iuxta tumulum viridi de cespite ponam,

Mœstus vbi, ducénsque imo suspiria corde,
Auia sæpe meis implebo saxa querelis.
Vos mihi vos eritis testes, ô saxa, meíque
Lucus hic, ingentem cùm latè fecerit vmbram,
Venturis olim pastoribus, arbore opacâ,
Corticéque inscripto, monstrabit signà doloris.
Crescetísque mei, trunco crescente, dolores.
Iámque mihi videor saltus errare per altos
Solus, & ingenti iam siluas rumpere planctu.
Lamenta & siluæ iam sunt medicina dolori.
Sed quid ego hæc? nec erunt siluæ medicina dolori,
Nec lamenta, ipsæ rursum concedite siluæ,
Concedant lamenta, dolor non talia curat.
His Ammon lacrymis, his Alcimus ora rigabat.
Nam quis te casus pertæsam denique lucis
Eripuítque tuis, & acerbo funere mersit?
An tibi necquidquam est natus, cui pareat æther?
Hoc erat, extinctæ quòd nuper ad vbera matris
Tantùm balaret nostris ab ouilibus agnus;
Perculsúsque boum crebris mugitibus amnis
Plangeret, & planctu ripæ, rupésque sonarent:
Ipse aderam, sed me ignarum mens læua tenebat.
Ipsi etiam, vt perhibent, nostris in montibus vrsi
Immanes vrsi, ipsi etiam fleuere leones.
Infelix Ammon! quid iam suspiria perdis?
Quidve paras? Postquam te, Partheni, tristia saxa,
Postquam te flerunt deserta per auia valles.
Partheni, te Libanus, te, Partheni, pinifer Hermon

Fleuit, & è summo plorarunt vertice pinus.
Fleuere & cedri immanes, fleuere cupressi.
Quin sol tristitiam cælo testatus ab alto
Hæsit, & attonito consistere visus Olympo.
Verùm etiam fama est visas per confraga cautes
Scindere se, atque sui, vt poterant, dare signa doloris.
Temporéque ex illo, pastus oblita, sub ipso
Gramine plorat ouis, siluásque auersus, & amnes
Mœret ieiunus plena ad præsepia taurus.
Et tua, Virgo, ipsæ senserunt funera nubes,
Sensit & ipse aër gregibus non æquus, & omnis
Vndarum qui purus erat, nunc turbidus humor.
Sed quibus aut Virgo non est plorata sub antris?
Aut qui non montes tantùm doluere dolorem?
Hæc pueri. At postquam Lysias effudit odores
In tumulum, multóque locum veneratus honore est;
Mecum, ait; ô pueri, tumulo date thura, nec isto
Lætitiam fletu festæ turbate diei:
Parthenis in cælo, post tristia fata superstes,
Nil iam lucis egens cælesti vescitur aurâ.
Illi spe tantâ fletus tenuere, nec vltrà
Vel sua damna, suæ vel questi funera Nymphæ.
Vna animo iam cura, locum decorare supremis
Muneribus, festóque diem celebrare triumpho.



IN VIRGINEM ASSVMPTAM

ECLOGA XIII.

APOTHEOSIS.

Virginis triumphus celebratur à Paſtoribus.


PARTHENIDEM *faciles lunas, ſoléſque ſerenos*
Orate agricolæ, nam Partheniis imperat aſtris.
Hanc ego, cùm mollem tondebam ſerus acanthum,
Cæruleo vectam vidi ſuper æthera curru.
Carmina quæ ſummo reſpectans lætus Olympo
Cantabat Ionathas paſtoribus, omnis at illum
Paſtorum turba hortatur, quæ gaudia portet,
Effari, viſáque ſuper quid Virgine pandat.
Tum ſociis Ionathas ſua porro viſa renarrat.
Dicit vti ſuperos Virgo ſuperauerit orbes,
Quo curſu ſuper aſtra, quibus volitauerit alis.
Exin vti rutilo texti ceu ſolis amictu,
Candenti lunæ impoſitam, per cærula cæli
Enauit, ſummóque volans ſucceſſit Olympo.
Vnde obitus varios aſtrorum cernit & ortus,
Sub pedibúſque omnes ſuperos, ſupera alta tenentes
Et videt, & magni miratur limen Olympi.
Deinde aperit, quam ſpem patriis paſtoribus, & quam
Agricolis rerum faciat iam maxima Nympha.
Poſtquam illam cæli, tempeſtatúmque potentem

Esse dedit, summóque Deus præfecit Olympo.
Vósque, ait, ô quibus est telluris cura colendæ,
Ne posthac signorum obitus spectate, vel ortus,
Candida erit vobis, omni pro sidere, Virgo;
Sidere quo glebâ seges vbere gaudeat, & quo
Incuruet sese ramis felicibus arbos.
Exercete solum agricolæ, date semina sulcis,
Tempus humum serere, & curuis insistere aratris,
Morem sideribus dum virgo imponit, & auris.
Vos neque iam vanis, credo, frustrabit aristis
Expectata seges, segeti neque noxius imber
Officiet, sterilem nec deseret humor arenam.
Maior erit pressi, sub Virgine, copia lactis,
Largior vndabit pleno vindemia prælo,
Duráque mitescent succos oblita priores
Poma, nec arboribus venti, segetíque nocebunt.
Sed quò larga magis spumet vindemia prælo,
Quò plus se ramis curuet felicibus arbos,
Quò plus vel pecoris, vel copia lactis abundet,
Nympha, tuæ donis fument maioribus aræ.
Namque tibi, postquam cæli te magna recepit
Regia, dona tibi, Virgo, debemus, & aras.
Olim tempus erit, quando te maximus orbis
Accipiet dominam rerum, populíque per orbem
Instituent tibi centum aras centum ardua templa,
Et templa, atque aras candenti è marmore ponent.
Nos autem myrtos, quod possumus, ô bona Virgo
Virgo, tibi myrtos totis plantabimus agris.

Hîc vbi pastorum chorus, & vicinia ruris
Dona ferat, suppléxque tuos tibi dicat honores.
Hæc prata, hos fontes, hæc, Partheni, rura colebas:
Atque hæc prata tibi, hi fontes, hæc rura placebant.
At quando natum, Virgo, non vana precaris,
Sublimi è solio, & cæli è regione serena
Respice nos facilis, da limina tangere diuûm.
Nam, memini, nos id quondam sperare iubebas.
Interea largo prouentu plenior annus
Contingat, veniátque suo seges ampla colono.
Da gleba agricolis felices vbere campos;
Pascua da gregibus, pingues da matribus agnos.
Et quæ tuta dabas pastoribus otia, serua.
Nósque tuum, superent nobis modò carmina, nomen
In cælum cantu assiduo sublime feremus,
Ad fontes cùm messis erit, cùm frigus ad ignem.
Hæc Ionathas: eadem pastores omnia læti
Dum repetunt, tumulo frondes, & florea serta
Imponunt, viridémque comam frondentis acanthi,
Et casiam, & violas, & suauerubentem hyacinthum.
Omnibus, in manibus palmæ, omnes carmina læti
Sacra canunt, plexis & inumbrant ora coronis.
Quin & solemni pro relligione parentum,
Ad tumulum totos ducunt septem otia soles,
Immunes operum, non his vel aratra diebus
Impressere solo tauri, vel plaustra tulere.
Interea totis pastorum factus ab agris
Ingens concursus tumulo, quos fama vocarat

Et primi venere, tuas qui, Gabatha, valles;
Quique tuas, Betſura, colunt; quos buxifer Hebron,
Quos Heſebon, rigido quos vertice paſcit Arimna;
Tum qui Betlemios ſeruant armenta per agros,
Felices herbis, felices frugibus agros;
Venit & ingentes portans pro munere myrtos
Turba frequens iuuenum, quæ Galgala ſumma colebat,
Galgala myrtetis lætiſſima; venit & omnis
Qui Libanum circa montem, & decliuia montis
Paſtor agit dulces ad gramina nota capellas,
Ver vbi perpetuum, ſempérque virentia prata:
Et ſua dona omnes, vt cuique eſt copia, portant,
Unde órnent tumulum Nymphæ; nec dicere laudes
Egregias ceſſant, nec laudibus addere grates;
Lætitiæ iſtius memores, cælóque receptæ
Parthenidis feſtum gratati rite triumphum.

FINIS.



ECLO-

ECLOGÆ
VARIÆ.

RIVI.
DAPHNIS.
VRANIS.
ALPHONSVS.



ODE PASTORALIS,

In qua ruris amœnitas ſic deſcribitur, vt inter paſtorales luſus locum, non ſine cauſa, habere poſſit.

ECLOGÆ VARIÆ.

RIVI.

ECLOGA I.

TYRSIS. TITYRVS.

TYRSIS. TITYRE *quid cessas? iuuat ire, & mollibus auras*
Cantando mulcere modis, dum candida spirat
Tam puro sub sole dies, nos dulcia rura,
Nos habeant colles, iuuat ire, & quærere fontes.
TITYRVS. *Haud procul hinc sincerus aquæ se murmure rauco*
Fons agit, humenti nympham sub rupe latentem
Flere putes, molléssque oculis euoluere guttas.
Tum varia expressæ se per diuortia guttæ
Agglomerant, quà rupit iter per cæca viarum
Spiramenta latex, collectus cogitur humor
Rupe sub exesâ, riuúmque orditur; at ille
In vallem elapsus, fugienti vortice fertur
Auius, inuitáque fugam molitur arenâ.
Sæpe illum Dryades, sæpe illum è gramine nymphas,

Affines fonti nymphas, dum sistere tentant,
His perhibent frustra profugum inuitasse querelis.
Riuule quò properas? celeres quò, currere pronus,
Moliris fugitiuus aquas? Vt inhospita præter
Arua fluas, indigna tuis erroribus arua.
Nec patrij te fontis amor, maternáque rupes,
Non natale solum, non te, quæ plurima circùm
Litus habet cognata Dryas, non limen auitum,
Non ipsi tete profugum tenuere penates.
Quid matrem fugis? Heu matrem, quæ carcere rupto
Te primùm tenues dedit ire in luminis auras,
Pérque suos reptare sinus, & rupe sub ima
Crescere, nascentem te suscepisse sorores
Naiadas, & molli circum cunabula musco
Induxisse ferunt, thalamos prætexuit arbos
Plurima, & æstiuos fregere vmbracula soles.
Quis præceps erroris amor? Quæ tanta voluptas
Et fugere, & cursu fluctus lassare perenni?
Eia agite, obiecti vinclis retinete fugacem
O lapides! se densa fugæ interponat arena.
Ille autem offensas iratâ aspergine cautes
Increpat obnixus, fundóque allisus iniquo
Captiuos querulo suspirat murmure fluctus.
Nec tantæ profugum illecebræ, nec blanda rebellem
Vincla tenent; quà forma loci decliuior, illac
Præcipitat, iámque imbelles assurgere in iras
Audet, & exiguo iam saxa lacessere pulsu;
Iam ripæ intentare minas, & litora circùm

Necquidquam obstrepere, & spumis aspergere truncos.
Consita nec fontem propter saliceta, nec vdum
Jam curat nemus, aut frondenti frigus ab vlmo.
Hærere impatiens fugit, indocilisque teneri.

TYRSIS. *Tityre amas riuos, riuos tibi, Tityre, dicam.*
Mons vbi vicinas nutu clemente supinus
Inclinat sese in valles, argenteus humor
Liquitur, & cursum in bibula molitur arena
Pauper aquæ riuus, quem rupes arida nudas
Effusum in silices ægrè connixa profudit.
Illum adeò vndarum tenuem sub luminis auras
Ire pudet, timidósque facit penuria fluctus.
At quando dulces enixâ rupe sub auras
Ire datum est, vrgéntque viam decliuia montis,
Ille vado illisus, per saxa, per obuia quæque
Hærendo se inopem excusat, vix vallis euntem
Incitat, aut pronis momenta liquoribus addit.
Si lapis, aut lapsus pendenti ex arbore ramus
Obiicitur, molles si radix herbida fibras
Egerit, aut fundo si calculus hæserit imo,
Ille moras circum gestit trepidantibus vndis
Et trahere, & varios vltro sibi tendere nexus.
Exin furtiuos se per deuoluere calles,
Multiplicésque iterum reditus, certásque viarum
Ordiri ambages, inopes prætendere fluctus
Errore, atque morâ: tum sicubi fortè per herbam
Pallet egens animæ muscus, se gramen in imum
Multifido insinuat lapsu, iuuat vsque morari,

Atque sub obscuris consumere cautibus æuum.
Sæpe illum Dryades, sæpe illum è pumice nymphas,
Affines vallis nymphas; dum cogere tentant,
His perhibent frustra torpentem egisse querelis.
Riuule, quid tardos lento trahis agmine fluctus,
Et labi pæne immemores? vt iniqua secundùm
Saxa heu! absumas pretiosam inglorius vndam.
Quin age, si qua tuos incendit gloria fluctus,
Rumpe moras, latices rapidis molire fluentis,
Olim aliquod (si fata sinant) in nomen ituros.
Quid cessas? Ieiunus ager, subiectáque monti
Te circùm suspirat humus: fruticeta liquores
Optauere tuos; ipsi te, Riuule, flores,
Ipsæ te quercus, ipsæ optauere myricæ.
O tibi, si patriis seruitum floribus ires
Largus aquæ, quæ non siluestres munera nymphæ,
Quæ non vicini pastores serta pararent?
Tu glaucas inter salices, tu florea præter
Gramina felici flueres purissimus vndâ,
Et collisa tuo garritu saxo sonarent.
Languida tu riguo recreares intyba potu,
Sicca tibi fronderet humus, tibi tortus in herba
Cresceret immensùm cucumis, tibi pruna ferentes
Florerent spini, tibi latè rura virerent.
Sæpe tuam molli ad ripam securus in vmbra
Luderet, & tenui pecudes mulceret auenâ
Tityrus, aut aliquis pastorum è gente Menalcas.
Ipsa tuos potum ad fluctus armenta venirent,

Et formosus oues ageret per gramen Adonis.
Balarent gregibus ripæ, mugiret anhela
Vallis, & agresti resonaret arundine pratum.
Ille autem nihilo sese mouet ociùs, vndam
Vsque tenet timidus fluere, oblitúsque moueri,
Obscuræ seu pacis amans, seu fontis egenus,
Sed quid ego hæc autem tibi non ignota reuoluo?
TITYR. *Hoc mihi longæuus quamuis narrasset Amyntas:*
Carmine tu puro melior tamen, omnia reddis
Dicendo potiora; tuus licèt indigus vndæ
Plus placuit riuus, quàm noster fontis abundans.
TYRS. *Me quoque me faciles Musæ fecere poëtam,*
Atque, fatebor enim, si carmina fortè negassent,
Non tuus hîc Tyrsis, non ipse maneret Amyntas.
TITYR. *Quis caneret nymphas? nemori quis diceret vdo*
Affusos latices? quo carmine nostra sonarent
Pascua? quis premeret calamos si Tyrsis abesset?





DAPHNIS,

SIVE
PASTOR AMANS SCIENTIÆ DIVINÆ.

ECLOGA II.

DAPHNIS *amor Muſarum, & agreſtibus vnica nymphis*
Gloria, paſtorum Daphnis leniſſimus vnus
Qui fuit, ingenuas longùm informatus ad artes,
Fertur, vbi denſâ nigrum nemus ilice frondet,
Anxius iſſe animi, & vepres penetraſſe ſub altos
Auius, ac ſolâ demum ſediſſe ſub vlmo,
Hiſque afflictus humi Phœbum impleuiſſe querelis.
Phœbe pater, quid me ſacrati ad limina templi
Pertentantem aditus, & carmina pura ferentem
Reiicis, atque tuis longè à penetralibus arces?
Spes erat, vt pariter vates, paritérque ſacerdos
Per tua templa irem, premerémque altaria donis,
Et noſtro diuina domus fumaret odore.
Hoc ſæpe aſtra mihi, ſi mens non vana fuiſſet,
Hoc mihi paſtores prædicere ſæpe ſolebant,
Dum ſua me quondam ſperare arcana iubebat
Vranis, atque ægrâ perfixum mente tenebat.

Illi

Illi sæpe meos mea fistula dixit amores,
Mollia dum simæ tondent arbusta capellæ:
Ipsa autem votis animos faciebat, & ægro-
Dum curæ sensim ingeminant sub corde, sinebat
Vranis, atque meos ipsa incendebat amores.
Nec mihi nec quisquam Vranidem persuaserit author
Duram adeò, quondam ipsa suos vt spernat amantes:
Nam quosdam vidi post tempora certa repulsos,
Vidi pendentes in limine, sed sua cuique
Fortuna immitis, nulli non Vranis æqua.
Spésque adeò iam me non vana tenebat habendæ
Vranidis, quid non miseri speremus amantes?
Cùm me, Phœbe, tuo pendentem in limine differs,
Producísque meos in longum tempus amores.
Pastorésque alios stridenti nuper auenâ
Quos vidi miserum per agros disperdere carmen,
Atque rudes, sinerent Musæ, tentare cicutas,
Pastores, tu Phœbe, alios, in templa receptos
Diuinæ Vranidis mysteria sacra docebas.
His Lycidam informas studiis, his imbuis Ægin,
Ambo rudes, nullis spectatos dotibus ambo.
Et me Castalio dudum iam nectare pastum,
Pérque tot & casus, per & aspera quæque probatum,
Post actos toties obscuro in puluere soles,
Et pene exhaustam per pascua sola iuuentam,
Me templi ex aditu prohibes, longéque repellis.
Quòd sum animi simplex, inconsultúsque fauoris,
Neglectus tibi sum, nec qui sim quæris Apollo,

Quàm felix ouium, pecori quàm nauus alendo.
Ah! quoties multâ ingratam cùm sedulus arte
Terram exercerem, & steriles malè pinguis arenæ
Versarem cumulos, quoties me vidit anhelo
Victum æstu, & solis malesano ardore perustum
Nympharum chorus, & sortem miseratus acerbam est?
Vos testes Musæ, testes vos pascua Musis.
At mihi quid porro studium telluris arandæ?
Pascendi quid cura gregis? quid profuit vsus?
Et frustra cepti per pascua longa labores:
Si diuina tuum celas mysteria vatem.
O! mihi speratæ si fors arcana paterent
Vranidis, nec, Phœbe, tui me limine templi
Cætera rideret pastorum turba repulsum.
Ipse caput plexa foliis amplexus oliuæ
Sacra darem; templúmque tibi molirer, & aram.
Tum diuæ Vranidis sperato munere lætus,
Cernerem vti nostros summum se numen in artus
Miscuerit, geminæ commercia sacra viderem
Naturæ, quæ vincla ligent compage perenni,
Quidquid in ambabus dispar fortuna diremit.
Hæc nossem, quamquam ô! norint, quibus ipse dedisti.
Audiat hæc Lycidas simus licèt, audiat Ægis
Ægis inops animi, studiorum inglorius Ægis.
Muneribúsque tui faciles lætentur amoris.
Ipse autem in siluis, trans flumina, tránsque reductos
Parnassi colles, solus per rura vagabor,
Mente coquens ægrâ curas, aut valle profundâ

Sordidus imbre genas, duri fastidia Phœbi
Plorabo, saxísque meos narrabo dolores:
Fors planctu pulsata meo vel saxa loquentur,
Pastorem Daphnim quantum fastidit Apollo.
Hæc flebat Daphnis, nec quid iam posset, habebat.
Non liquidi fontes, non antra virentia musco,
Non ruris, non vrbis amor, non cura peculi
Præterea, nec erant cantus, nec carmina cordi,
Tantùm inter densas corylos, siluámque sub altam
Æternùm fugiebat, ibi fastidia Phœbi
Fontibus & saxis planctu iactabat inani.

CONSOLATIO AD DAPHNIM.

ECLOGA III.

VRANIS,

SIVE

PASTOR IN VRBEM VOCATVS.

VENERAT *autumnus pomis iam lætus, & vuis,*
Ex quo animum Daphnis curâ carpebat, & alto
Mentis inops cæcum versabat corde dolorem.
Nec Daphnim lætus pomis autumnus, & vuis
Lenierat, dum spes auidi seges implet auaras
Agricolæ, dum poma rubent, & præla redundant.
Frustratos mœstus Daphnis lugebat amores.

Vranidémque amens per deuia rura vocabat.
Namque hærere domi, & patrios tolerare penates,
Aut lucem, sociósque pati non cura sinebat.
Umbræ illi nemorum cordi, riuíque fugaces,
Abruptæque iugis, deserta per auia, valles.
Hunc sæpe oblitum seræ decedere nocti
Sol abiens vidit plorantem, vidit eundem
Sol rediens longos ducentem pectore questus.
At vatis, Tymbræe, tui te deinde misertum est.
Namque vt nigranti (sic sueuerat ille) sub vlmo
Phœbum multa rogans, serâ iam nocte iaceret:
Ecce olli purâ pendens è nube videndam
Se dedit imperio Phœbi delapsa per auras
Vranis, & verbis sic mœstum affatur amicis.
Daphni, quid indignos ægro sub pectore questus
In longum trahis? & duri fastidia Phœbi
Causando incusas? nec te fastidit Apollo,
Nec tibi præ quemquam posuit, spreuítque labores.
Sed modò iam de se meritum bene mittit in vrbem
Vrbem illam dominam mundi, Musísque frequentem,
Vt famæ curru impositum te deinde per orbem
Differat, atque suis spectatum reddat alumnis.
Tum nec subducti deserto in tramite colles,
Præterea, nec iam siluæ, & loca sola placebunt.
Namque Parisiacæ species cùm te ampla tenebit
Vrbis, & effusum passim mirabere vulgus,
Magnificásque domos, atque alta palatia regum,
Pérque vias strepitúsque virûm, sonitúsque rotarum,

Atque frequentatas studiis popularibus artes,
Tum tristes prudens rerum aspernabere siluas.
Hîc seu te obliquo sub litore glaucus habebit
Sequana, seu pictos sub flumine nare phaselos
Videris, aut volucres ad ripam ludere currus.
Credo equidem, tum nulla animo suspiria duces.
Mox vbi fortè vagam vagus ipse incesseris vrbem,
Quàm varios varia obiicient spectacula motus?
Seu pontis quà curua noui se machina tollit
Magnanimum Henricum ingenti exultare colosso,
Seu fortè effusos nymphâ Samaritide fluctus
Aspicias, atque vndantem per compita turbam.
Seu tibi parte aliâ Luparæ tecta alta superbum
Ostendant latus, atque domum prætenta per amplam
Porticus affuso præter se porrigat amni,
Siue forum, seu magna sacri delubra senatus,
Atque Parisiacæ spectacula singula pompæ;
Non te iam forsan pecoris, rurísque relicti
Tædebit, nec difficilis fastidia Phœbi
Montibus, & siluis planctu narrabis inani.
Postquam te nostro Musæ sub monte poëtam
Sacrarint; quo monte magis se iactat Apollo,
Quàm vel Parnassi, vel agrestis vertice Pindi.
Hîc tu forti animo, nec inerti numine dices
Franciadûm pugnas, transmissáque lilia Belgis,
Et tristes curas bellantum, & grandia cœpta
Monte super nostro referes, vbi pace sub alta,
Vatibus, & Musis hæc otia fecit Apollo.

Tum narrabis, vti positis cessabit ab armis
Fractus Iber; mox vt totum sperata per orbem
Pax ibit, festo pastores carmine pacem,
Pacem ipsi agricolæ, pacem omnis rustica pubes
Sæpe inclamatam, turbâ plaudente, per aras
Supplicibus votis, & salso farre piabunt.
Hîc etiam quæcumque vago rumore feruntur
Accipies. Quo castra loco nunc ponat Iberus?
Quid rerum iam Belgæ agitent? quo litore classis
Franca hyemem duret? Quæ sit fortuna Sueco?
Quod Marti sit fatum Italo? quibus horrida bella,
Inter Hyperboreas glacies, septémque triones
Sarmata agat studiis, toto vt pugnetur in orbe.
Nec tibi si siluæ placeant, campíque virentes
Defuerint, si visum, ibis sæpe inter amœnos
Vmbrarum tractus, aut quà se plurima tellus
Induit in flores, & cælo gaudet aperto.
Non pictæ florum facies, cantúsque volucrum
Proinde aberunt, vallésque cauæ, collésque supini.
Hîc virides lucos, & opacum frigus ab vmbra
Captabis, pecoríque tuo solatia, puros
Monstrabis fontes, & amicos vatibus amnes;
Ipse autem nullo contractus corda dolore,
Muscosi caput ad fontis proiectus, & herbâ
Effultus molli, libabis gaudia ruris,
Liber vbi curæ, atque vlmi frondentis ad vmbram
Ingratos poteris cantando condere soles.
Tum tibi Bellaqueum si fors inuisere fontem,

Siue Ruellæam vicino in rure Napæam
Contingat, variísque insignes fontibus hortos.
Fallor; Apollineum ni iam gratabere munus.
Hæc eadem vt posset, quid non fecisset Alexis?
Hæc sunt, quæ nostrâ voluit te voce monendum
Tymbræus pater. Ergo animis spem præcipe certam:
Nam te Musæ omnes mysteria nostra docebunt.
Dixit, & afflictum Daphnim solata reliquit.





ECLOGA IV.

ALPHONSVS.

Nobilis adoleſcentis præmaturum obitum deplorat Poëta.

EXTINCTVM *dulcis primo ſub flore iuuentæ*
Alphonſum , magno fuerat qui carus Iülo ,
Ilius Alphonſo ſummè dilectus , & Almon
Ambo paſtores , annis florentibus ambo
Montibus in patriis alterno carmine flebant.
Primus vbi gemitus ægro ſub corde repreſſit ,
Rupibus hæc mœrens Ammon iactabat , & auris.
Quò ferar? Aut quæ me accipiant ſecreta vagantem
Antra , quibus iuſti cauſam narrabo doloris?
Nam poſtquam rigidi dura inclementia fati
Eripuit noſtri Alphonſum ſolatia ruris ,
Deſperem , quid enim miſero mihi denique reſtet?
Ille meos habuit , fuerat qui dignus , amores.
Illi , quod poteram , dum viueret , aurea mala ,
Aurea mala mei longè lectiſſima ruris
Donaram , puero Lycidas donata dolebat :
Et ſibi quamquam eadem donari mala rogaret ,
Non tulit Alcinoë , poterat quæ digna videri.
Solus erat , noſtra Alphonſus cui dona parabam.

Ah!

Ah! puer alme, tuo nos ruráque funere perdis.
Triste satis præceps effusâ grandine nimbus,
Triste rosis vrens Boreas, triste imber aristis,
Tempestas ratibus, nostro tua funera ruri.
Ipse tuo nuper pendebam lætus ab ore,
Cùm mihi Romani laudabas pascua ruris,
Et pingues Tyberis ripas, campique Falisci
Felices herbas, & dulcem Tiburis vmbram;
Vnde olim Ausonij primùm venere coloni,
Et Remus, & frater, campis assueta iuuentus,
Pastores quondam, vt fama est, ouiúmque magistri.
Sed quid ego hæc iterum, nunc tantùm ingrata reuolno?
Quin potiùs, nemorum secessus inter opacos,
Solus amem longis consumere fletibus æuum?
Fortè meo vel erunt lacrymæ medicina dolori.
Ante tamen myrtum, & ferrugineos hyacinthos,
Et casiam, & violas, & candida lilia carpam,
Et cineres, Alphonse, tuos ornabo supremis
Muneribus, spargénsque rosas altaria circum,
Plorabo, & tenui plorans cum murmure dicam:
Floribus his, suprema tibi iam munera soluo.
His Almon lacrymis, his Ilius ora rigabat.
Nam quid ego inuisæ durem fastidia lucis?
Postquam crudeles superi, crudelia fata
Alphonsum rapuere, mori me denique cogis,
Nuper eras, qui vita, mei nunc causa doloris.
Rumpite pastores calamos, date carmina ventis,
Alphonsus periit, non fert iam carmina tempus.

Ille dabat calamis animos, cantúſque mouebat:
Illi & erant calami, & cantus, & carmina curæ:
Vidi ego, cæleſti quos nectare nuper alebant
Pierides, Clariij ſub vertice montis, olores
Et gemere, & niueo plumas auellere dorſo.
Turbatíſque ferunt erraſſe per auia caſtris
Rupis apes Clariæ, ſacro quæ melle beatos
Sæpius Aoniis vates pauere ſub antris.
Nam Muſis vt apes, Muſis vt amantur olores,
Te, Mancine, & apes, & amarunt te quoque olores.
Et tua Pan magnus, Franci Pan arbiter orbis,
Et fidus Pani tua funera ſenſit Iülus.
Senſerunt nymphæ, ſenſerunt maxima diuûm
Numina, quæ magni Panis delubra frequentant.
Illum & deſertis fleuit ſub rupibus Echo,
Fleuerunt mœſti fontes, & murmure rauco
Narrauere ſuos offenſa ad ſaxa dolores.
Fleuiſtis Zephyri, & ſingultibus interruptis
Muſarum extinctos ſuſpirauiſtis amores.
Ah miſerande puer! Poſtquam te fata tulerunt,
Tantùm per ſiluas, & per deſerta locorum
Ibo: meis fontes lacrymis, & flumina creſcent.
Alphonſum fontes, Alphonſum flumina flebunt.
At Lycidas, puero qui tum ſuprema parabat,
Mecum, ait, ô pueri, date tura, & ſpargite flores
Alphonſo: Alphonſus fieri ſibi talia mandat.
Hunc volucri raptum vidi ſuper æthera curru.
Veſper erat, cælóque rubens iam luna ſereno

Vndique noctivagos ſtellarum accenderat ignes:
Cùm tenuem, valle ex ima, ſe tollere fumum
Aſpexi, & longo per cælum albeſcere tractu.
Expectabam animi dubius, quid ſigna ferebant.
Nec mora, ſidereus pictis exercitus alis,
Cæleſtes formâ pueri toto æthere viſi,
Impoſiti Zephyris liquidas volitare per auras,
Et mirum in morem lato proludere cælo.
Tum cœtu in medio Alphonſum ſuper aſtra volantem
Vidimus inſignem radiis, & luce coruſcum.
Alphonſum interea nubes, auræque ſonabant,
Alphonſum magno reſonabat murmure cælum.
Ipſe autem cælo reſpectans lætus Amyntas,
Exclamat. Superi nunc ô! nunc viſa ſecundent
Præſentes, tanto, poſt fata, ſit omine felix
Alphonſus, cælóque bonus nos ſpectet ab alto;
Morem ſideribus ſi quando imponat, & aſtris.
Credita res lætis paſtoribus: illa per agros
Fama volat, totis paſtorum carmina ſiluis
Certatim Alphonſum celebrant ad ſidera raptum.





IESVS LVDENS RVRI CVM MATRE.

ODE PASTORALIS,

Quâ ruris beatitas commendatur.

E*CQVIS hic autem puer, innocentes*
Qui parat lusus? vbi prata mollis
Collium flexus, tenuísque riui
Vnda coronat.
Tunc stellarum decor, eruditæ
Prima naturæ facies, supremæ
Mentis exemplum, sobolésque magno
Æqua parenti?
Ecce mortali vice mitigatus,
Simplici ludens equitas in agno,
Ipse iam noster patiens vocari
Pastor, & agnus.
Túque, tu quondam pede qui tonanti
Astra calcabas, volucrésque stellas,
Iam super molles violas, & inter
Lilia ludis.
Virgo non natum decet iste ludus:
Solis ardentes meliùs quadrigas

Franet, & curru superos volanti
Vrgeat orbes.
Antequam cæli spatiosus orbis
Tenderet vastam per inane molem,
Jlle iam nubes super, atque ventos
Arduus ibat.
Si per herbosos tamen est recessus
Cura ludentem recreasse natum:
Aut reluctanti placet expeditum
Figere in agno.
Hîc voluptates, & amœnitatem
Omne rus spirat: sine nube puri
Hîc micant soles, Zephyríque blando
Murmure ludunt.
Mollis hîc herbâ viret, & tepente
Sternitur musco via, ne rigenti
Fors pedes lædat teneros arenâ
Callis iniquus.
Arbores passis tibi, Virgo, latè
Seruiunt ramis, nimiósque soles
Temperant, vdo moderatur æstum
Gramine tellus.
Siue lectorum studiosa florum
Quæris aptandam puero coronam,
Aut amas molli digito comantem
Carpere myrtum.
Hîc odoratas genus omne florum
Explicat frondes, rosa purpuratos

Hîc sinus, fuscos violæ, nitentes
Lilia pandunt.
Hinc ad æstiuum fruticeta solem
Diuites tendunt opulenta ramos.
Frugibus felix beat arua largo
Copia cornu.
Terra, quæ dorso tumet eminenti,
Sponte se Baccho dedit, at patentes
Fusa per campos Cereri laborat
Vbere glebâ.
Siue te fontes, & amœna lymphis
Prata delectent, vbi blandienti
Garriat lætam querulus per herbam
Murmure riuus.
Non procul leni fluit vnda cursu,
Nulla quam turbat ratis inquieto
Remigum pulsu, vacat otiosis
Ripa phaselis.
Vna per campos aqua delicatum
Vitreo labens ciet ore murmur.
Blanda labenti simul, & strepenti
Obstrepit aura.
Humidum litus tepet, & palustri
Texitur iunco; per aprica riuum
Arua ludentem tegit explicatis
Frondibus arbos.
Quid voluptates memorare pergam
Cæteras ruris tibi præparati?

Ipsa ridentis plaga ridet omnis
Ore puelli.
Pastor erranti grege feriatus
Inflat argutâ calamos sub orno.
Valle respondet vagus in reducta
Carmina pagus.
Interim plaudunt hilarata cantu
Rura, persultat pede pulsa tellus,
Mugiunt valles, ouibúsque pastis
Flumina balant.
Personat festo nemus omne plausu,
Ales exultans volat, & sonoris
Cantibus mutas animasse rupes
Gaudet acanthis.
Garrulus surdas Zephyrus volatu
Prouocat frondes, vbi purus vndæ
Humor obliquo per agros laborat
Serpere cursu.
Illa naturæ fuit innocentis
Forma, cùm prisci niueíque mores,
Dúmque sub primi bona mens vigebat
Tempora mundi.
Si quid æstiui per agros caloris
Fortè vitalem tepefecit auram,
Obuiam ramo nemus imminenti
Porrigit vmbram.
Prona se nato simul, & parenti
Quercus affundit super, & reclini


Incubans natum pariterque matrem
Fronde coronat.
Perge felices agitare lusus,
Virgo, ludentem mea te sonabit
Musa: te semper puerúmque, iugi
Carmine dicam.
Sic ames dulcem recreare natum,
Vt tuo vati, miseróque pacem,
Ore quo ridet bonus, & quietem
Annuat orbi.

FINIS.




DISSER-

DISSERTATIO
DE
CARMINE
PASTORALI.



DISSERTATIO DE CARMINE PASTORALI.

PRÆFATIO.



E Poëtica præcipere velle, de qua, noſtrâ & ſuperiori ætate, tam multa præcepta ſint, vt operæ parum vtilis eſſet, & nimis otioſæ; ſic de ea poëticæ parte tractare, de qua nihil hactenus præceptum ſit, poterit eſſe nec inutile, nec iniucundum. Cùm enim paſtorale carmen per ſeſe delicatiſſimum, vetuſtiſſimúmque ſit, habebit eius tractatio, quod & non diſpliceat eruditis, qui id temporis aliqui ſunt, & quod amœnitate ſua curioſis ſatisfaciat, qui ſunt bene multi; Non poteſt enim dici, quanta ſit nunc apud homines noſtros eorum multitudo, qui ſeſe de-

A Iulio Scaligero, Minturno, Voſſio, & aliis tractatum de hoc carmine leuiter, nihil accuratè præceptum.

dant litteris amœnioribus: sic vt in hac ciuitate, quæ semper omnis vrbanitatis parens iure existimata est, nemo sit liberalis & honestus, quem non artium ingenuarum amor ceperit. Quod cùm reputarem apud me, venit in mentem mirari, in tanta, quæ nunc est amœniorum studiorum curiositate (nam hodie multo magis quàm olim *studiorum amœnitates quærimus*, qui de hoc carmine diligenter & accuratè præceperit, fuisse neminem.

Plin. Præfat. ad Vespasianum.

Videbam cæteras politiorum Musarum partes hominum nostrorum studio, & operâ florentissimas, scenam poëtarum arte celebratam, in reliquis poëticæ partibus cum laude laboratum; mirabar hanc vnam relictam à nostris, ac pæne desertam. Opinor, quod vt obseruatum à Fabio Institutionum oratoriarum lib. 1. procem. *nullam ingenij sperantes gratiam, circa res procul ab ostentatione positas*, earum simus multo negligentiores. Nam vt omittam reliquas artes: quis nostrâ ætate, si modò honestus, ingeniosúsque haberi velit, vel non sit poëta, vel non videri amet? Peritos iuxta & imperitos inflammauit poëticæ diuina vis, adeò vt in tanta támque communi animorum inflammatione quidam quasi furor sit, non esse poëtam. Parum etiam fuit vt omnia carminibus personarent; quod in poëtica summum est, affectauimus, quodque vix

ſemel & iterum bene ceſſit omni retro antiquitati, tentauit iam ſæpius ætas noſtra, vt carminis epici maieſtatem ſuſtineret. Non hîc ſæculi fiduciam accuſabo, loquantur magna, quibus os magnum eſt, & tantùm ſcribat vnuſquiſque, quantùm in ſcribendo valet. Ipſe, dum tubam heroïcam tractant tam multi, referam me ad agreſtium calamorum gracilitatem, ſi modeſtus ſim: nam mihi, vt Theocriteo paſtori, debet eſſe ſatis canere ad fiſtulam,

ἀρκεῖ μοι καλάμας αὐλὸν ποππύσδεν ἔχοντι. Idyll. 5.

Vt autem parum laudis afferat rei tractatio ita leuis, tamen de litterarum dignitate merebor fortaſſe aliquid, ſi hoc elegantioris litteraturæ quaſi inſtrumento muſarum cultum locupletauerim, fecerímque pro communi litterarum bono, ne vel illa quidem pars eruditionis omnium fortè tenuiſſima negligatur. Quod, opinor, ero conſecutus; poſtquam, quæ dignitas huius carminis, tum quæ materia & forma; mox quæ ſit ars illius ac diſciplina, poſtremò quas habeat difficultates expoſuero: quæ quatuor partes ſunt, quibus continebitur omnis à me ſuſcepta de carmine paſtorali diſputatio.





PARS PRIMA.

DE DIGNITATE, ANTIQVITATE, origine, cæterísque partibus, quæ pertinent ad commendationem carminis paſtoralis.

Poëtica commendatio.


E re propoſita, quod dicturus ſum, vt conferam in quam pauciſſima, de poëticæ facultatis excellentia nihil dicam in vniuerſum; artem omnium humanarum diuiniſſimam, quod à Platone in Ione, ab Ariſtotele in poëtica, cæteríſque eruditis video iactari, prætcribo: vt me referam ad inſtitutum, quod qui reprehendant, fortaſſe non deerunt. Cùm enim agam de ea poëticæ parte, quæ, vt dictum à Fabio, propter ruſticitatem ſuam, *vrbem reformidet:* periculum eſt ne videar imitator Nicocharis, qui viros deterioris vel oris, vel indolis, vel fortunæ, repræſentandos ſibi proponebat. Sunt enim qui totum hoc vitæ paſtoritiæ inſtitutum ſordidum, & abiectum putent. Illud enim primum occurrit, in quo negotium fieri poſſit à ſeuerioris diſciplinæ hominibus. At ſi paſtoritiæ conditionis dignitas attendatur, reprehenſionis

Lib. 10. c. 1.

istius purgatio non erit admodum difficilis. Vt enim heroïcum carmen ab heroïs conditione habet commendationem, sic pastorale à conditione pastoris.

Quam vt declarem, non requiram hîc vel fabulosorum, vel heroïcorum temporum au-ctoritatem; tametsi in illis deum pastorem habuerint Thessali montes; in his verò Herculem heroum principem (sic enim appellatur à Paterculo) tulerit armentarium ager Auentinus. Quæ tametsi ad fidem faciendam parum idonea sint: his tamen satis declaratur, pastorale munus fuisse aliquando eiusmodi, quod vel à diuinitate numinis, vel ab heroïs dignitate, temporibus iis, quæ fabularum vestigiis nobilitata sunt, non videretur alienum. Quod ad pastoritiæ conditionis commendationem si valere non possit, poterit illius excusare vilitatem, quæ nec dîis olim, nec heroïbus indigna visa sit.

Pastoritiæ conditionis dignitas.

Lib. 1.

Verùm vt omittam fidem poëtarum, sacris annalibus proditum habemus, principes viros Iacob & Esaü, pecori colendo dedisse operam. Quod Amos, è stirpe regia, ipse etiam de se profitetur. erat enim *in pastoribus Tecuë* vitæ pastorali deditus. Mosem à Deo ad principatum pastorali munere fuisse præparatum innuit Philo in eius vita quam scripsit: cùm docet pa-

Amos 1.

storalem artem, ad imperium esse quandam quasi præparationem. Idem docet in vita Iosephi, vbi monet curam pastionis esse disciplinam, quæ cum ciuili conueniat. Basilius in oratione de S. Mamm. Martyre, idem habet de Dauide, qui ab arte pastorali peruenit ad regnum: ait enim artem pascendi, & regnandi esse coniunctissimas, easque vocat sorores. Quod fecit, credo, cur apud Græcos, reges ac principes nullo alio nomine magis gloriarentur, quàm pastoris. Nam vt proditum est à Varrone, *de antiquis illustrissimus quisque pastor erat*; ipsumque populum mundi principem à pastoribus ortum nullus est, qui nesciat, cùm Romulum antea pastorem, regem deinde fecerunt aues Palatinæ. Quo tempore, vt testatur Ouidius,

Fast. 1.

Seruabátque suas ipse Senator oues.

Vitæ pastoritiæ beatitas.

Vitæ pastoritiæ quandam quasi beatitatem diuinitatémque exprimit Lucretius,

Lib. 5.

Per loca pastorum deserta, atque otia dîa.

Quæ causa fuit, opinor, cur Musis ruris solitudo, secessúsque siluarum, beatíque illius otij securitas tantùm placeret. Sic enim nobis eas repræsentat Horatius,

Lib. 1. Sat. 10.

Gaudentes rure Camœnæ.

Quod priùs obseruatum erat à Mnasalce Sicyonio, in eo epigrammate, quo Venerem celebrauit.

ἁ δὲ ἀγρία μοῦσα ἐν ὄρει
νέμεται.

Agrestis musa in montibus locum habet. Ruris enim amœnitas ſic eſt interdum amabilis, vt vel ab iis etiam, qui tardiori pinguioríque ſunt ingenio, vim & acumen impetrare queat. Certè tot inter tantáſque vel libidinis, vel ambitionis contentiones, quæ flagrant in vrbe, non video quid loci Muſis relictum eſſe poſſit.

At vt dicam ipſe quod ſentio, (nam de paſtorum integritate, ſanctiſſimíſque moribus, quæ fusè diſputantur à declamatoribus in ſchola, non dicam hoc loco) longè beatior mihi videtur in ſiluis, qui hoc vniuerſum, atque in eo ſolem, & aſtra, pratorum amœnitatem, opacitatem nemorum, riparum viriditatem, proceritates arborum, fontium perennitates, lapſúſque, & errores fluminum; quibus continetur vita omnis pacata & innocens, ſecurus tanquam ſua contemplatur; quàm qui ferro, & cædibus graſſatus, tantùm poſſidere ſe putat, quantùm vaſtando, populandóque conſecutus eſt. Pacem quærit armis Cæſar Auguſtus ad Auroræ populos: quibus ſuſceptorum terrâ, maríque itinerum incommodis? Quo animorum æſtu? Qua trepidatione? Dum amorum ſecurus, otioſus in vmbra, paruóque contentus Tityrus docet ſiluas ſuam reſonare Amarylli-

dem. Ex altera parte fugit Melibœus exul, à patria & profugus, fugit & Antonius, pastor ille, hic in republica princeps: quàm dispar vtriusque fortuna! Fugit pastor patientissimus sui, æquissimo animo, dum perditus, & impotens Antonius, desperatâ sui suæque salute, furit atrociter & teterrimè in semetipsum: quo tam tristi, & luctuoso casu non video quid perditius esse possit. Nihil enim est tam miserabile, quàm ex beato florentíque miser. Ex quo patet quantùm magnæ & illustris fortunæ splendori, quod rumore vulgi laudari solet, pastoritiæ conditionis simplicitas anteponenda sit. Tantæ autem simplicitatis quæ viget apud pastores forma, quid præ se fert aliud, quàm primæ hominum innocentiæ auream ætatem, & beatam imaginem illorum temporum, quibus candor, innocentia, pax, otium, faustitas ruri regnare videbantur? quod fusè describit poëta:

Georg. 2.

Hîc secura quies, & nescia fallere vita,
Diues opum variarum, hic latis otia fundis,
Speluncæ, viuíque lacus, ac frigida Tempe,
Mugitúsque boum, mollésque sub arbore somni
Non absunt, &c.

Epod. 1. Ode 2. Sic Horatius:

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium, &c.

Dignitas carminis bucolici. Ex quibus sua laus, dignitásque constare po-

rest carmini bucolico, quod, quantùm commendationis habet ætas aurea ſupra heroïcam, tantùm carmini heroïco anteponi poſſit. Id tamen ſic eſt accipiendum, vt ſi carminis heroïci ſpectetur maieſtas, excelſitáſque, illi primæ partes tribuendæ ſint; ſi ſermonis ingenuitas, munditiess, elegantia, venuſtas, lepores, & quidquid cultus eſt politioris, poſteriores. Pleniſſimum enim eſt hoc carmen ſuauitatis, elegantiæ, & amœnitatis: quod apud ſuauiorum Muſarum ſtudioſos, per ſeſe magis compertum eſt, quàm vt requirat plus lucis. Neque enim probabile eſt, Aſinium Pollionem, Cinnam, Varum, Cornelium Gallum, viros ſuauiſſimi ingenij, & ætatis omnium elegantiſſimæ, ipſúmque adeò Auguſtum Cæſarem, vt Reipublicæ, ſic elegantiæ Romanæ principem, Virgilij bucolicis tam mirificè fuiſſe delectatos; neque iis Virgilium ipſum tam ſingularis prudentiæ, iudiciíque tam politi virum, eclogas ſuas conſecraſſe, niſi eximium quiddam, & exquiſitioris elegantiæ in eo carminis genere contineri intellexiſſet, quod longè ſupra vulgi captum poſitum ſit. Certè ſi Ludouico Viues viro pereruditο, omníſque elegantis doctrinæ commendatione nobili credimus, ſublimius aliquid, excellentiúſque præ ſe fert carmen illud, quàm putet vulgus grammaticorum, quod ſuo loco fuſiùs In præfat. ad Virgilij bucolica.

disputabitur : nunc de carminis istius antiquitate dicendum.

Carminis pastoritij antiquitas. Cùm Linus, Orpheus, Eumolpus, longè ante Troiana tempora, nomen suum carminibus celebrarint; non videntur audiendi, qui poëticæ initium ad hæc tempora referant : plus placent ij, qui ad ipsa mundi primordia reuocant eius originem. Quod cùm de poëtica in vniuersum sumpta debeat intelligi, tum maximè de pastorali, quod poëmatis genus omnium vetustissimum, ex antiquissimo viuendi more ductum docet Scaliger : *Modulatio in pastionibus inuenta primùm vel naturæ impulsu, vel auicularum imitatione, vel arborum sibilis.* Cùm enim primi mortalium vel pastores, vel aratores fuerint, pastoresque aratoribus, vt ex Thucydide primùm, tum ex Varrone colligi potest, antiquiores, primi omnium vel otio conditionis excitati, cantiones meditati sunt; vel, quod Lucretio magis probabile visum est, auium imitatione.

Lib. 1. poëtic. c. 4.

At liquidas auium voces imitarier ore
Antè fuit multò, quàm leuia carmina cantu
Concelebrare homines possent.

Lib. 5.

Certè carmina à rure primùm profecta tam planum est, vt res ipsa per sese perspicua sit, quod satis disertè docet Tibullus,

Lib. 2. Eleg. 1.

Agricola assiduo primùm lassatus aratro
Cantauit certo rustica verba pede:

Et satur arenti primùm est modulatus auenâ
Carmen, vt ornatos duceret ante deos.

Certo pede. Quod Bern. Cyllenius Veronensis interpretatur definitâ rhythmorum lege: nam Censorinus testatur cantus fuisse antiquiores ex numeris parum certis, qui deinde sub legem & normam venerint. Sic enim à natura comparatum est, vt ab imperfectis, & simplicibus initiis prima rerum ducantur exordia, quæ suis deinceps perficiantur accessionibus, & incrementis. Cuiusmodi erant ea, quæ primùm ludebant Ausonij pastores & agricolæ carmina, apud Virgilium: Lib. de die natali.

Ausonij Troiâ gens missa coloni 2. Georg.
Versibus incomptis ludunt.

Lucretius lib. 5. de rerum natura docet, pastores ab aurarum, Zephyrorúmque respiratione admonitos, calamos, & arundines inflasse primùm, tum cantilenas instituisse ad numerum. sic ille:

At Zephyri, caua per calamorum sibila, primùm Lib. 5.
Agrestes docuere cauas inflare cicutas.
Inde minutatim dulces didicêre querelas,
Tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
Auia per nemora, ac siluas, saltúsque reperta.

Vnde manifestum est ortam poëticam à priscis illis temporibus, quibus vita pastoralis primùm exerceri cœpta est. Quod & docet Donatus in

Lib. 5. vita Virgil. & Pontanus de stellis satis monet his versibus:

Hic videas amnem ad rapidum, viridante sub alno.
Pastores miscere nouas per prata choreas.
Sic primùm cecinit teneros noua fistula amores,
Insuetúmque suæ carmen modulatus amicæ
Upilio.

Cætera carmina à pastorali orta. Ita ioci Fescennini post condita frumenta nati. Tum vindemiatorum, messorúmque cantiones repertæ, quarum in Theocriti θεριςαῖς elegans habetur exemplum.

Ab illo rei poëticæ quasi ortu, carmen assurgere cœpit ad maiora. Nam ex mutuis colloquiis pastorum & agricolarum, comœdia primùm, quæ vitæ priuatæ disciplinam tradit, tum tragœdia, mox epica, quæ illustris & heroïca, orta est, vt nobis author est Maximus Tyrius dissertatione 21. vbi docet agricolas à messe, vel semente sordidos, ac pastores, subitas quasdam, & ex tempore, cantilenas fundere solitos; à quibus tandem initiis paulatim animus deflexit ad artem scenicam, & theatralem. Hæc de vetustate illius carminis: nunc de origine.

Variæ opiniones de carminis bucolici origine. De qua magnopere video disputari inter eruditos: nam à quo primùm auctore profectum sit carmen pastorale, non satis compertum: certè aurei sæculi proprium, adeóque beatæ illius ætatis inuentum esse, traditum habemus à

Donato. At quo auctore, quo loco, quo primùm tempore, qua occaſione repertum ſit, magna eſt, & hactenus non ſatis expedita controuerſia. In vita Virgil.

Epicharmus Pythagoræ diſcipulus ἐν ἀλκυόνι facit Diomi cuiuſdam Siculi mentionem, quem carmen paſtorale inueniſſe primum tradit Athenæus: ἦν δὲ καὶ τοῖς ἡγουμένοις τῶν βοσκημάτων ὁ βουκολιασμὸς καλούμενος. Δίομος δὲ ὁ βουκόλος Σικελιώτης, ὁ πρῶτος εὑρὼν τὸ εἶδος. *Eorum, qui pecudes ducebant ad pabula, cantio fuit bucolicum carmen. Diomus bubulcus è Sicilia primus inuenit id genus cantionis.* Lib. 14.

Diodorus Siculus, ἐν τοῖς μυθολογουμένοις, Daphnidi illi, qui Mercurij & Nymphæ fuit filius, id tribuere videtur: vnde Theon antiquus Theocriti Scholiaſtes in idyllij primi explicatione habet: πρῶτος εὕρετο βουκολικὴν, *primus inuenit artem bucolici carminis*, cùm de Daphnide mentionem facit: quem τὸν μώσαις φίλον ἄνδρα, *Muſis cariſſimum virum*, vocat Theocritus. Aſſentitur Diodoro Polydorus Virgilius, qui Daphnin perhibet huius carminis inuentorem. Idyl. 1. Lib. 5.

Mnaſeas verò Patarenſis in iis, quæ ſcripſit de Europa, hæc habet de quodam Panis paſtorum Dei filio: Πανὸς υἱὸν Βουκολίωνα, ἀφ' οὗ καὶ τὸ βουκολεῖν. *Panis filium bubulcum, à quo & bucolicè canere.* Incertum tamen ſenſeritne id Mnaſeas de poëſi bucolica, an de paſtu pecorum. Si fides

habeatur Vallæ, de bucolico carmine eſt accipiendum.

Lib.10.c.18.de varia hiſtoria.

Viſum tamen aliter Æliano, qui à Steſichoro Himeræo carmen paſtorale repertum fidenter aſſerit. Στησίχορόν γε τὸν Ἱμεραῖον τῆς τοιαύτης μελοποιίας ἀπάρξασθαι. *Steſichorum Himeræum huius compoſitionis auctorem.* Vbi addit bucolica de Daphnide Mercurij filio, in Sicilia primùm cantari cœpta.

Non deſunt, qui Libero nympharum, ſatyrorum, & id genus ruſticorum numinum principi, credo quòd ruri delectabatur, id carmen tribuant; Apollini verò Nomio paſtorum Deo alij, quâ tempeſtate regis Admeti boues, & armenta paſcebat in Theſſalia. Nam credibile eſt eum, vt otium ſuum oblectaret, cantilenis conditioni paſtoritiæ conſentaneis dediſſe operam. Pani paſtorum Deo non pauci, Dianæ ſiluarum & ſolitudinis peramanti plures, Mercurio nonnulli carmen hoc exiſtimant referendum: quæ omnia cùm garriunt grammatici, more ſuo liberaliter nugantur; fabulas enim afferunt, quibus circumduci ſe ſinunt ſimplices; nos res quærimus.

Vt de auctore carminis bucolici, ſic de patria variè diſputatur: quam Spartam alij, quidam Peloponeſum, Theſſaliam non pauci, plures Siciliam eſſe volunt.

Valla

Valla Placentinus antiquitatis inueſtigator non indiligens, apud Lacones ortum hoc carmen habuiſſe exiſtimat. Cùm enim Perſæ vniuerſam propè Græciam bello vaſtaſſent, Lacones aiunt barbarorum metu perculſos, abdidiſſe ſe in latebras: pubémque ruſticam, quæ id temporis metu deſtituerat, Dianam Caryatidem per agros celebrare cœpiſſe cantilenis, vnà cum virginibus, quæ flores Dianæ, inter cantandum, offerebant. quæ conſuetudo, vt habebat aliquod ſpecimen religionis, diu multúmque his in locis ſanctiſſimè obſeruata eſt.

Ortum verò in Sicilia carmen bucolicum cenſet Diomedes grammaticus, eo libro quem ſcripſit de metris: quo in loco tradit Siculos paſtores, agris ſummâ peſtilentiæ vi deſertis, Dianam variis ceremoniis placare cœpiſſe, quam deinde, pro implorata ope, & peſte ſedata, Λύῤω, quaſi malorum liberatricem appellarunt. Tum res ducta in conſuetudinem, vt paſtores ad celebritatem conuenirent frequentiſſimi, laudéſque Dianæ, cuius ope liberati fuerant, canerent: qui deinde cùm tranſiſſent in Italiam, Bucoliaſtæ ſunt appellati.

Pomponius Sabinus rem ita narrat. Cùm Dianæ hymni à virginibus, ob belli metum, intra mœnia vrbium latentibus, toto rure deſerti eſſent, conueniſſe paſtores, & hoc genus

carminis, quod nunc bucolicum appellatur, Dianæ cecinisse, cui suus pro more cultus exhiberi non poterat.

Donatus verò, ab Oreste per Siciliam vago, & erranti, id genus carminis Dianæ cantatum affirmat, quo tempore è Scythia Taurica profugerat, rapto deæ simulachro, abditóque in fasce lignorum, vnde Fascelinam Dianam siue Phacelidem ἀπὸ τῦ φακέλυ appellatam perhibet: apud cuius aram ipse deinde Orestes per sororem Iphigeniam sacerdotem fuerat expiatus. At quam fidem sibi faciat tantâ fabularum licentia, in tali auctorum non optimorum dissensione?

Placitum nonnullis, circa agros & oppida, solitos fuisse pastores composito carmine deam Palem celebrare, vt amplo prouentu, & beatâ vbertate, pecora, & fruges fortunaret: inde diu nomen, ritúmque bucolicorum retinuisse.

Alij, pro sua vel ingenij bonitate, vel perspicientia, alia aut coniiciunt, aut diuinant. In tam difficili controuersia sic pronunciat Vossius: *In hoc veterum dissensu; iis potiùs accessero, qui arbitrantur inuentum hoc carmen à Peloponnesiis, vel Siculis. Vtrique enim Doricè loquebantur, & bucolicum carmen Græcis Doricè solùm est scriptum.*

Lib. 1. Instit. poët. cap. 8.

Ego verò sic existimo, idem de carminis bucolici inuentore dici posse, quod dictum ab Ho-

ratio in poëtica, de carminis elegiaci auctore:

Quis .... elegos emiſerit auctor

Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Nam certum ſuper ea re nihil habeo, quod ſuſpicer: cùm neque Valla ſatis accuratus iſtarum rerum æſtimator, neque quiſquam recentiorum quidquam afferat, in quo hærere poſſim. Tamen quod initium habuerit carmen illud, coniecturâ duci poſſe mihi videor ad ſuſpicandum. Nam credibile eſt, primos paſtores otium ſuum in paſcendis gregibus oblectare cantilenis, atque vt quiſque pollebat ingenio, carmina ad conditionem ſuam accommodata, pro re nata, canere ſolitos, quemadmodum ferebat & ipſa ruris ſolitudo, & deſidioſiſſimum vitæ paſtoralis otium poſtulabat. Vt enim ſeceſſus, otium, & ſolitudo locum dabant meditationi: meditatio, commentatióque carmen, quod eſt oratio cantui accommodata, & cantilenas λόγος μεμελισμένος. efficiebat. Quod contigit Heſiodo, qui cùm paſceret greges in Helicone, ſibi vim fundendi carminis inditam, poëtámque ſe eſſe factum In Theogonia. profitetur.

ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο.


Paſcentem dulces agnos Helicone ſub alto.


Habet enim aliquid, paſtoris vel otium, vel ingenium, quod inſpiret quodammodo vim fundendi carminis.

In quo aſſentior Lucretio accuratiſſimo naturæ perueſtigatori, qui iam tum ab illa innocentiſſima, quâ florebat aurea ætas, tempeſtate, docet carmen paſtorale fuiſſe in vſu. Poſtquam enim deſcripſit beatiſſima hæc tempora, libro quinto de rerum naturâ, hæc ſubdit:

Agreſtis enim tum muſa vigebat.

Ex quo manifeſtum eſt, vt ab ipſo Donato eſt obſeruatum, carmen paſtorale ætatis aureæ, ſi quæ fuit vnquam, aut certè priſtinæ illius, quæ primis mundi temporibus florebat, ſimplicitatis, & innocentiæ eſſe inuentum. Nam quamuis ætas aurea locum ferme non habuerit, niſi in fabuloſorum temporum commentis: tamen primæ mundi ætatis mores fuiſſe liquet ita ſimplices, & apertos, vt ab eis & carminis bucolici, & paſtoritiæ conditionis forma meritò peti poſſet.





PARS SECVNDA.

DE CARMINIS PASTORITII constitutione, & natura.



NVNC de ipsa pastoritij carminis constituendi ratione quærendum, peruestigandáque omnis eius natura. Qui locus non potest esse non perdifficilis: cùm ducem non habeam quem sequar, aut Aristotelem, aut Horatium. mirum enim de hoc carmine apud vtrumque silentium. Sic autem statuo, neminem in toto rei poëticæ negotio insistere tutò posse, si ab vtroque deseratur. Cùm pleraque tamen in poëticæ genus, ab iis definita sint, vniuersum, quæ lucem institutæ quæstioni afferre queant: eorum vestigiis, quoad potero, insistam.

Artis poëticæ genus vniuersum imitationem esse quandam, non Aristoteli modò, sed etiam Horatio placitum est. Nam de Platone, cui idem visum est in lib. 2. de repub. & in Timæo, nihil est hoc loco, quod laborem. Vt autem comœdia, ex Aristotele, est imago vitæ popularis, & vrbanæ: sic pastoralis poëtica, vi-

Poëticæ genus vniuersum esse imitationem.

Lib. de poëtica cap. 1.

tæ rusticæ, & pastoralis. Cùm enim poëtica vniuersa, imitatio sit: species eius singulas imitari necesse est; quod docet Aristoteles cap. 1. πᾶσαι τυγχάνουσιν οὖσαι μιμήσεις : *singulæ species poëticæ sunt imitationes.* Quæ in eo singulæ differunt, quòd vel rebus genere diuersis, vel alia, vel aliter imitentur, & ab ipsa imitationis vel ratione, vel instrumento, vel subiecta materia, diuersæ sint.

Cap. 5. ἐν τρισὶ δὴ ταύταις διαφοραῖς ἡ μίμησίς ἐστιν· ἐν οἷς, καὶ ἃ, καὶ ὥς. Sic epicus licèt in eo conueniat cum tragico, vt circa actionem illustrem imitandam versetur: tamen quòd hic repræsentando imitetur, ille narrando, vterque imitationem constituit specie diuersam. Comicus autem, & tragicus tametsi eodem instrumento vtantur, nam vtrique communis est repræsentatio: quia tamen proposita vtrique materia diuersa est, actio illustris tragico, comico vulgaris, vtriusque imitatio diuersæ est speciei. Quapropter cùm pastoralis poëtica pastoris actionem sibi proponat imitandam: peculiarem imitationis differentiam à subiecta re induit, quâ à toto genere seiungatur.

An carmen pastorale locum habeat inter species ab Aristotele recensitas.

At difficultas oritur hîc non mediocris, quam mouet Benius in poëticam Aristotelis: an carmen pastorale in facta diuersarum poëticæ specierum à Philosopho cap. 1. recensione appellatum sit, an prætermissum. Controuersiam inter

eruditos super hac quæstione video plenissimam dissensionis: quæ ipsi Benio vel soluenda erat, vel certè non attingenda. Sunt qui genus hoc carminis ad eam speciem reuocent, quæ tibiis vtitur. nam bucolicos versus ad tibiam cantitari solitos auctor est Apuleius; Paniscum enim inducit in nuptiis Psyches bucolica ad tibiam cànentem. Sed quid velit Aristoteles per eam speciem, quæ tibiis vtitur, quam vocat αὐλητικὴν, quòd illi non satis attendant, parum videntur audiendi. An si canat Æneidem ad lyram Iopas aliquis, vt factum à nonnullis monet Ant. Lullus: ideò diuinus ille, & incomparabilis carminis heroïci magister inter lyricos erit recensendus?

Metamorph lib. 6.

Lib. 7. de oratione cap. 5.

Non desunt qui cum Cæsio Basso, & Isacio Tzetze factam ab Aristotele, & à Tullio poëticæ distributionem, imperfectam esse velint: præcipuas quidem species ab iis recensitas, omissas leuiores, Non hîc agitabo controuersiam excitatam inter criticos, an integra Aristôtelis poëtica peruenerit ad nos: quæ profectò magna est. Nam Laërtius, qui rem accuratè expendit, testatur vnum & alterum ab eo scriptum de poëtica librum; periisse alterum, alterum verò ad nos peruenisse, quod non existimat Mutinensis. Sed vt res definiatur, malim assentiri Vossio, qui philosophum cæteras poë-

Cap. 1. de poëtica. Libro de optimo orat. genere.

tæ rusticæ, & pastoralis. Cùm enim poëtica vniuersa, imitatio sit: species eius singulas imitari necesse est.; quod docet Aristoteles cap. 1. πᾶσαι τυγχάνουσιν οὖσαι μιμήσεις: *singulæ species poëticæ sunt imitationes.* Quæ in eo singulæ differunt, quòd vel rebus genere diuersis, vel alia, vel aliter imitentur, & ab ipsa imitationis vel ratione, vel instrumento, vel subiecta materia, diuersæ sint. *Cap. 5.* ἐν τρισὶ δὴ ταύταις διαφοραῖς ἡ μίμησίς ἐστιν· ἐν οἷς, καὶ ἃ, καὶ ὡς. Sic epicus licèt in eo conueniat cum tragico, vt circa actionem illustrem imitandam versetur: tamen quòd hic repræsentando imitetur, ille narrando, vterque imitationem constituit specie diuersam. Comicus autem, & tragicus tametsi eodem instrumento vtantur, nam vtrique communis est repræsentatio: quia tamen proposita vtrique materia diuersa est, actio illustris tragico, comico vulgaris, vtriusque imitatio diuersæ est speciei. Quapropter cùm pastoralis poëtica pastoris actionem sibi proponat imitandam: peculiarem imitationis differentiam à subiecta re induit, quâ à toto genere seiungatur.

An carmen pastorale locum habeat inter species ab Aristotele recensitas.

At difficultas oritur hîc non mediocris, quam mouet Benius in poëticam Aristotelis: an carmen pastorale in facta diuersarum poëticæ specierum à Philosopho cap. 1. recensione appellatum sit, an prætermissum. Controuersiam inter

eruditos super hac quæstione video plenissimam dissensionis: quæ ipsi Benio vel soluenda erat, vel certè non attingenda. Sunt qui genus hoc carminis ad eam speciem reuocent, quæ tibiis vtitur. nam bucolicos versus ad tibiam cantitari solitos auctor est Apuleius: Paniscum enim inducit in nuptiis Psyches bucolica ad tibiam canentem. Sed quid velit Aristoteles per eam speciem, quæ tibiis vtitur, quam vocat αὐλητικὴν, quòd illi non satis attendant, parum videntur audiendi. An si canat Æneidem ad lyram Iopas aliquis, vt factum à nonnullis monet Ant. Lullus: ideò diuinus ille, & incomparabilis carminis heroïci magister inter lyricos erit recensendus?

Metamorph lib. 6.

Lib. 7. de oratione cap. 5.

Non desunt qui cum Cæsio Basso, & Isacio Tzetze factam ab Aristotele, & à Tullio poëticæ distributionem, imperfectam esse velint: præcipuas quidem species ab iis recensitas, omissas leuiores. Non hîc agitabo controuersiam excitatam inter criticos, an integra Aristôtelis poëtica peruenerit ad nos: quæ profectò magna est. Nam Laërtius, qui rem accuratè expendit, testatur vnum & alterum ab eo scriptum de poëtica librum; periisse alterum, alterum verò ad nos peruenisse, quod non existimat Mutinensis. Sed vt res definiatur, malim assentiri Vossio, qui philosophum cæteras poë-

Cap. 1. de poëtica. Libro de optimo orat. genere.

tæ rusticæ, & pastoralis. Cùm enim poëtica vniuersa, imitatio sit: species eius singulas imitari necesse est; quod docet Aristoteles cap. 1. πᾶσαι τυγχάνουσιν οὖσαι μιμήσεις: *singulæ species poëticæ sunt imitationes.* Quæ in eo singulæ differunt, quòd vel rebus genere diuersis, vel alia, vel aliter imitentur, & ab ipsa imitationis vel ratione, vel instrumento, vel subiecta materia, diuersæ sint.

Cap. 5. ἐν τρισὶ δὴ ταύταις διαφοραῖς ἡ μίμησίς ἐστιν· ἐν οἷς, καὶ ἅ, καὶ ὥς. Sic epicus licèt in eo conueniat cum tragico, vt circa actionem illustrem imitandam versetur: tamen quòd hic repræsentando imitetur, ille narrando, vterque imitationem constituit specie diuersam. Comicus autem, & tragicus tametsi eodem instrumento vtantur, nam vtrique communis est repræsentatio: quia tamen proposita vtrique materia diuersa est, actio illustris tragico, comico vulgaris, vtriusque imitatio diuersæ est speciei. Quapropter cùm pastoralis poëtica pastoris actionem sibi proponat imitandam: peculiarem imitationis differentiam à subiecta re induit, quâ à toto genere seiungatur.

An carmen pastorale locum habeat inter species ab Aristotele recensitas.

At difficultas oritur hîc non mediocris, quam mouet Benius in poëticam Aristotelis: an carmen pastorale in facta diuersarum poëticæ specierum à Philosopho cap. 1. recensione appellatum sit, an prætermissum. Controuersiam inter

eruditos super hac quæstione video plenissimam dissensionis: quæ ipsi Benio vel soluenda erat, vel certè non attingenda. Sunt qui genus hoc carminis ad eam speciem reuocent, quæ tibiis vtitur. nam bucolicos versus ad tibiam cantitari solitos auctor est Apuleius; Paniscum enim inducit in nuptiis Psyches bucolica ad tibiam canentem. Sed quid velit Aristoteles per eam speciem, quæ tibiis vtitur, quam vocat αὐλητικὴν, quòd illi non satis attendant, parum videntur audiendi. An si canat Æneidem ad lyram Iopas aliquis, vt factum à nonnullis monet Ant. Lullus: ideò diuinus ille, & incomparabilis carminis heroïci magister inter lyricos erit recensendus?

Metamorph lib.6.

Lib.7.de oratione cap.5.

Non desunt qui cum Cæsio Basso, & Isacio Tzetze factam ab Aristotele, & à Tullio poëticæ distributionem, imperfectam esse velint: præcipuas quidem species ab iis recensitas, omissas leuiores. Non hîc agitabo controuersiam excitatam inter criticos, an integra Aristotelis poëtica peruenerit ad nos: quæ profectò magna est. Nam Laërtius, qui rem accuratè expendit, testatur vnum & alterum ab eo scriptum de poëtica librum; periisse alterum, alterum verò ad nos peruenisse, quod non existimat Mutinensis. Sed vt res definiatur, malim assentiri Vossio, qui philosophum cæteras poë-

Cap.1.de poëtica.
Libro de optimo orat. genere.

tæ rusticæ, & pastoralis. Cùm enim poëtica vniuersa, imitatio sit: species eius singulas imitari necesse est; quod docet Aristoteles cap. 1. πᾶσαι τυγχάνουσιν οὖσαι μιμήσεις: *singulæ species poëticæ sunt imitationes*. Quæ in eo singulæ differunt, quòd vel rebus genere diuersis, vel alia, vel aliter imitentur, & ab ipsa imitationis vel ratione, vel instrumento, vel subiecta materia, diuersæ sint. *Cap. 5.* ἐν τρισὶ δὴ ταύταις διαφοραῖς ἡ μίμησίς ἐστιν· ἐν οἷς, καὶ ἃ, καὶ ὡς. Sic epicus licèt in eo conueniat cum tragico, vt circa actionem illustrem imitandam versetur: tamen quòd hic repræsentando imitetur, ille narrando, vterque imitationem constituit specie diuersam. Comicus autem, & tragicus tametsi eodem instrumento vtantur, nam vtrique communis est repræsentatio: quia tamen proposita vtrique materia diuersa est, actio illustris tragico, comico vulgaris, vtriusque imitatio diuersæ est speciei. Quapropter cùm pastoralis poëtica pastoris actionem sibi proponat imitandam: peculiarem imitationis differentiam à subiecta re induit, quâ à toto genere seiungatur.

An carmen pastorale locum habeat inter species ab Aristotele recensitas.

At difficultas oritur hîc non mediocris, quam mouet Benius in poëticam Aristotelis: an carmen pastorale in facta diuersarum poëticæ specierum à Philosopho cap. 1. recensione appellatum sit, an prætermissum. Controuersiam inter

eruditos super hac quæstione video plenissimam dissensionis : quæ ipsi Benio vel soluenda erat, vel certè non attingenda. Sunt qui genus hoc carminis ad eam speciem reuocent, quæ tibiis vtitur. nam bucolicos versus ad tibiam cantitari solitos auctor est Apuleius: Paniscum enim inducit in nuptiis Psyches bucolica ad tibiam canentem. Sed quid velit Aristoteles per eam speciem, quæ tibiis vtitur, quam vocat αὐλητικὴν, quòd illi non satis attendant, parum videntur audiendi. An si canat Æneidem ad lyram Iopas aliquis, vt factum à nonnullis monet Ant. Lullus: ideò diuinus ille, & incomparabilis carminis heroïci magister inter lyricos erit recensendus?

Metamorph lib. 6.

Lib. 7. de oratione cap. 5.

Non desunt qui cum Cæsio Basso, & Isacio Tzetze factam ab Aristotele, & à Tullio poëticæ distributionem, imperfectam esse velint: præcipuas quidem species ab iis recensitas, omissas leuiores, Non hîc agitabo controuersiam excitatam inter criticos, an integra Aristôtelis poëtica peruenerit ad nos : quæ profectò magna est. Nam Laërtius, qui rem accuratè expendit, testatur vnum & alterum ab eo scriptum de poëtica librum ; periisse alterum, alterum verò ad nos peruenisse, quod non existimat Mutinensis. Sed vt res definiatur, malim assentiri Vossio, qui philosophum cæteras poë-

Cap. 1. de poëtica.
Libro de optimo orat. genere.

eruditos super hac quæstione video plenissimam dissensionis: quæ ipsi Benio vel soluenda erat, vel certè non attingenda. Sunt qui genus hoc carminis ad eam speciem reuocent, quæ tibiis vtitur. nam bucolicos versus ad tibiam cantitari solitos auctor est Apuleius: Paniscum enim inducit in nuptiis Psyches bucolica ad tibiam canentem. Sed quid velit Aristoteles per eam speciem, quæ tibiis vtitur, quam vocat αὐλητικὴν, quòd illi non satis attendant, parum videntur audiendi. An si canat Æneidem ad lyram Iopas aliquis, vt factum à nonnullis monet Ant. Lullus: ideò diuinus ille, & incomparabilis carminis heroïci magister inter lyricos erit recensendus?

Metamorph lib. 6.

Lib. 7. de oratione cap. 5.

Non desunt qui cum Cæsio Basso, & Isacio Tzetze factam ab Aristotele, & à Tullio poëticæ distributionem, imperfectam esse velint: præcipuas quidem species ab iis recensitas, omissas leuiores, Non hîc agitabo controuersiam excitatam inter criticos, an integra Aristotelis poëtica peruenerit ad nos: quæ profectò magna est. Nam Laërtius, qui rem accuratè expendit, testatur vnum & alterum ab eo scriptum de poëtica librum; periisse alterum, alterum verò ad nos peruenisse, quod non existimat Mutinensis. Sed vt res definiatur, malim assentiri Vossio, qui philosophum cæteras poë-

Cap. 1. de poëtica.
Libro de optimo orat. genere.

ticæ ſpecies non recenſitas, in ſuperiori ordine ait eſſe complexum : ipſúmque adeò carmen paſtorale, cuius non meminit, in epico contineri. Sic enim ille: *Sunt præterea epici inferioris ordinis, vt ſcriptores bucolici.* Idem cenſet Sincerus apud Minturnum, qui de epico carmine ſic ſtatuit: *Multorum generum eſſe, quæ carmine hoc deſcribi ſolent. In humili & attenuata materia, vt in iis quæ ad paſtores attinent; in magna atque graui, vt in rebus diuinis, & in iis quas homines præclarè geſſerunt; & in mediocri, cuiuſmodi ſunt præcepta, hæc ratio verſatur.* Quod ſuperiùs declarat, vbi tres epicorum affert quaſi partes, *quarum altera*, inquit, *diuina eſt, & in poëtica longè princeps: altera infima, puriſſimáque, qua excelluit Theocritus; tertia, quæ nihil habet poëtæ præter illigationem numerorum.* Quibus conſtitutis, facilior erit cæterarum difficultatum explicatio.

Lib. 3. cap. 8. poëticæ Inſtit.
Lib. 2. de poëta.

Vt enim in dramatico imitandi genere perſonarum dignitas vilitáſque duas conſtituit ſpecies imitationis; tragicam vnam, quæ conuenit perſonis illuſtribus; alteram comicam, quæ popularibus, & vrbanis: ſic in epicis duæ cenſeri poterunt imitationes, quarum altera pertineat ad heroës, quæ carmen heroïcum; altera verò ad ruſticos, & paſtores, quæ paſtorale conſtituat. Vt autem os vultúmque pictura, ſic actionem imitatur poëtica; quæ non perſonæ, ſed actionis eſt adumbratio. Ex quibus colligi poterit

poterit hæc carminis pastoralis definitio. Est imitatio actionis pastoralis, vel quæ sit ad modum pastoralis. Vt Gallus Virgilij licèt pastor non sit, erat enim ferme primariæ vir in vrbe dignitatis: tamen pertinet ad carmen pastorale, quia repræsentatur ad modum pastoris. Vnde poëta: *Definitio carminis pastoralis.* *Eclog.10.*

Venit & vpilio, tardi venere bubulci.
Omnes, vnde amor iste? rogant.

Res agitur inter pastores, vpiliones inducuntur, interueniunt bubulci, omnia ad pastoris ingenium accommodantur. Eadem æstimatio debet esse de Sileno, qui quantumuis tollat spiritus, & à tenuitate carminis istius alienus videatur: tamen quia dicit apud pastores, & pro eorum captu ac ingenio dicit, pastoritius censeri debet. Quæ norma tenenda erit, vt certò iudicetur, quid apud Theocritum, Virgiliúmque pastorale sit, quid non pastorale. Nam apud Theocritum, quædam sunt sublimioris animi, quæ cùm pastoritias res non tractent, pastoritia censeri minimè debeant. Quod suo loco fusiùs dici poterit.

Nunc quærendum quæ poëticæ pastorali materia subiecta sit; de qua quid statui debeat, non est satis in promptú: cùm neque ab Aristotele, neque à cæteris Græcis, qui hoc carmine scripserunt, certum quidquam peti possit: so- *Quæ materia sit carminis bucolici?*

lent enim interdum tractare res arduas, & ſublimes, epicorum more. Nam quid grandius toto idyllio 7. Bionis, in quo Myrſon hortatur Lycidam paſtorem, vt canat Achillis, & Deïdamiæ amores? Cùm ille rem orditur ab Helenæ raptu, Atridarum furorem, totiúſque conſpirationem Aſiæ perſecutus, quidquid in tota Iliade magnum eſt, complectitur.

ἐχώσατο ἁ Λακεδαίμων,
πάντα δὲ λαὸν ἄγειρεν ἀχαϊκόν ……

Irata Lacedæmon omnem populum Græcum congregauit. Idem factum à Theocrito eâdem ſublimitate carminis, eâdémque animorum excelſitate. Non enim video, quid in omni carminis heroïci grauitate tam robuſti ſpiritus ſit, ac illud idyllium quod ſcripſit de Hercule λεοντοφόνῳ, in quo narrat Hercules ipſe Phyleo, quomodo leonem, cuius ferebat exuuias, interfecerat; nam vt omittam cætera, quæ ſpirant grauitatem, quid grandius his, aut magis ſonans dici poteſt?

ψυχὴν δὲ πελώριον ἔλλαβεν ἅδης.

Animam ingentem accepit infernus. Quid dicam de idyllio 22. in quo omnia ſunt oris, & ſpiritus heroïci; non enim poteſt dici quàm plena ſint grauitatis iſta:

ἀνὴρ ὑπέρφιαλος, ἐνήμενος, ἐνδιάασκε,
δεινὸς ἰδεῖν.

Vir arrogans ibi ſedens ſub dio manebat, grauis aſpectu.

Cætera, quæ fusè hîc habentur, sunt eiusdem roboris, vt & laudatio Ptolomæi idyll. 17. epithalamium Helenæ, idyl. 18. pugna Herculis cum draconibus. Quomodo autem fieri potest, vt hæc conueniant poëticæ pastorali, de qua dici debet illud, meo iudicio, quod de Cydippe sua habet Ouidius,

Cydippe non est oris, Homere, tui.

Neque enim pastorale carmen assurgere debet ad maiestatem heroïci. At quis auctores tam magnos, & tam graues reprehendat? Quid dicam de Virgilio? qui fabulosorum temporum doctrinam propè omnem, ecloga 6. complexus est. Nam quò non assurgit magister ille mysteriorum Silenus? quâ oris, & animorum inflammatione?

Namque canebat, vti magnum per inane coacta
Semina, terrarúmque, animæque, marísque fuissent,
Et liquidi simul ignis; vt his exordia primis
Omnia, &c.

Tum illud:

Hinc lapides Pyrræ iactos, Saturnia regna,
Caucaseásque refert volucres, furtúmque Promethei.

Adeò verum est, nihil esse tam arduum, quò se non efferat animus bucolici carminis. At si ita sit, quid de Macrobio, Georgio Valla, Iulio Scaligero, Vossio, omníque adeò grammaticorum gente, est futurum? Qui omnes huic carmini

ſimplicitatem, tenuitatémque ſic propriam eſſe volunt, vt intra paſtoralis vitæ conditionem, mores, ingenium, conſuetudinémque ſermonis ſe contineat: neque enim quidquam paſtorale eſſe poteſt, quod ad indolem paſtoris non accommodatum ſit. Vnde non audiendus hîc, meo iudicio, Nannius Alcmarianus, qui, in Virgilij bucolica, vult eclogam tollere animos interdum ad res grandiores, & grauiora argumenta pati poſſe. Quo in loco totam carminis bucolici materiam in humilem, mediocrem, & excelſam partitur; partitioníſque illius auctorem facit Virgilium, qui eclogâ quartâ materiam carminis bucolici in tres ſpecies diuidit, tribus his vocibus, myricarum, arbuſtorum, ac ſiluarum.

Eclog. 4. *Non omnes arbuſta iuuant, humiléſque myricæ,*
Si canimus ſiluas, ſiluæ ſint conſule dignæ.

Per ſiluas (quemadmodum ait ille) vt intelligit Virgilius proceras, iuſtáſque arbores: ſic grande carminis iſtius vult ſignificari argumentum, quod deſtinat conſuli: per myricas, quæ propemodum herbæ ſunt depreſſiſſimæ, genus humile, & abiectum; per arbuſta, medium aliquid, quod ſiluis cedat, non myricis. Vnde illud,

Si canimus ſiluas, ſiluæ ſint conſule dignæ,

in eam ſententiam eſt accipiendum, vt ſi tractamus argumenta ſublimiora, rem facimus di-

gnam consule. Ita videlicet locum istum interpretatur Nannius, nimis credo subtiliter & acutè: nam non credibile est vnquam venisse in mentem Virgilio, vt in materia carminis pastoritij, res arduas, & sublimes recenseret: postquam præsertim monitus est à Cynthio, cùm reges, & prœlia carmine Syracusio, hoc est pastorali vellet canere, vt ad carmen tenue, & deductum, petitâ, à tenui & deducto filo, similitudine (sic enim interpretatur Afranius) se, calamósque suos referret. Sic enim ille:

Cùm canerem reges, & prælia Cynthius aurem Ecloga 6.
Vellit, & admonuit, pastorem, Tityre, pingues
Pascere oportet oues, deductum dicere carmen.

Grauis enimuerò admonitio, in qua pungi poëtæ aurem, vellíque à Cynthio oportuerit: qui, credo, vt erat animatus, ni monitis tam acribus paruisset poëta, vellicare aurem non destitisset, adeò parum consentaneum esse putabat, vt pastor reges & bella caneret. Ex quo loco patet, ex ipsius Virgilij sententia, res magnas, & illustres, contra opinionem Nannij, ad huius carminis materiam pertinere nullo modo posse; sed id duntaxat vnum, quod tenue, & abiectum est, quod feliciter expressit Theocritus hac voce βωκολιάσδευ.

αὐτόθι μοι ποτέρισδε καὶ αὐτόθι βωκολιάσδευ. Idyl. 5.

quod est bucolicè, & tenuiter canere: sic enim

explicant interpretes. Quapropter res arduas vitet poëtica pastoralis, ne ab ingenio tantisper recedat; occupet se autem circa res rusticas, per sese planè tenues, vt sunt negotia pastorum, amores imprimis, sed candidi illi, & innocentes, non vanis zelotypiæ suspicionibus inquieti, non contaminati stupris, riualitates sine cædibus, æmulationes sine rixa, quales describit Vida,

Lib. 1. de poët.

Pastorum de more querelas,
Et lites Siculi vatis modularis auenâ.

Tum ludi, festiuitates, munera, sed sine magno sumptu, vt aureæ mala, nido ereptæ palumbes, lac, flores, suauia, & pacata omnia, nihil turbulentum. Ibi locum non habeat leno perfidiosus, non fallax & insidiosa mulier, non fœnerator auarus, non vafer aut factiosus seruus, omnia simplicitatis aureæ ætatis, & illius, qui tum vigebat, candoris sint plenissima: tunc enim, vt testis est Satyrus,

Improbitas illo fuit admirabilis æuo.

Interdum etiam diis manibus parentatum est idyllio, vel eclogâ, quibus honos habitus tumulis, cùm pastores sparsis floribus addebant rusticas cantiones, vt patet ex Daphnide Virgilij, & Adonide Bionis; hæc enim non abhorrent ab ingenio pastorali. Vno verbo quidquid, seruata decori ratione, fieri potest à pastore,

illud ad carminis paſtoritij materiam pertinere poterit : modò intra fines paſtoralis argumenti contineatur. Quod tamen varium eſt magis, ac multiplex, quàm placitum eſt Seruio, & Donato, qui vltra numerum, quem impleuit Virgilius, proferri non poſſe putant: quibus Minturnus lib.2. de poëta, minimè aſſentitur. At vt actio illuſtris, & heroïca eſt materia carminis heroïci, ſic materia carminis paſtoritij debet eſſe actio paſtoralis, vel certè ficta ad modum actionis paſtoralis : quod diligenter eſt obſeruandum ad pleraſque difficultates, quæ hoc in negotio interuenire poſſunt. Nam quamuis ſint de bello ciuili, de coloniis eductis, de mulctatis municipiis, de imperatoris funere pleraque è bucolicis Virgilianis, vt teſtantur interpretes, quod argumentum ſublimius eſt, quàm ferat humilitas poëticæ paſtoralis: tamen quòd accommodantur iſta ad vitæ paſtoritiæ conſuetudinem, fictáque ſunt ad ingenium paſtoris, pertinent ad carmen bucolicum : quod recipit interdum deos, & heroas, ſed perſonis paſtoritiis adumbratos. Cætera verò quæ nec paſtoritia ſunt, nec paſtoritiorum more ficta, vt Amor fugitiuus, aut Europa Moſchi, Amor auceps Bionis, Adonia, Hercules Λεοντοφόνος, Helenæ epithalamium, & pleraque alia Theocriti, Virgilij denique Pollio, in bucolicis minimè videntur eſſe recenſenda.

Quæ causa fuit cur Seruius in bucolica Virgilij, ex decem eclogis Virgilij, septem; & ex triginta sex idylliis Theocriti decem tantùm numeret purè pastoralia;& inter illius poëmata, multa, quæ quiduis aliud sint quàm pastoralia, inserta fuisse testatur Salmasius in Solinum, tomo 2. Heinsiúsque in scholis Theocriticis decem tantùm recenset idyllia bucolica cum Seruio. Τύρσις, Φαρμακευτεία, Ἀμαρυλλὶς, νομεῖς α΄, ὀδοιπόροι, βουκολιασταὶ α΄. Λυκίδας, βουκολιασταὶ β΄. νομεῖς β΄. κύκλωψ; cùm cætera ab eo carminis genere, vel quoad materiam, vel quoad formam discrepent. Ex quo factum opinor, vt à decem idylliis pastoritiis, decem calamos in sua fistula, quâ pastorum lusit cantilenas, quámque Pani consecrauit, posuisse videatur Theocritus; vt eruditè obseruatum à Salmasio, in notis super fistulâ Theocriti, *in qua bini versus semper vnum fistulæ calamum constituunt. Ita igitur dispares sunt omnes, in morem disparium fistulæ cannarum, vt tamen positis vbique binis paribus, qui cannam vnam reddunt, tota disparitas in decem binis consistat, cùm vulgaribus fistulis septem tantùm calami inessent*: ita Salmasius, quod non attendunt satis minùs curiosi.

Sunt autem, qui existiment ad poëticam pastoralem ea referenda omnia, quæ ruri celebrantur, & in vniuersum quidquid non vrbanum est; & piscatorum, aratorum, messorum, vena-

venatorum, cæterorúmque id genus colloquia eò pertinere; quod non existimo, si res ad regulam nostram exigatur: nihil enim præter actionem pastoralem, vt declaratum est, ad carmen pastorale pertinere potest.

Non hîc quæram, tametsi locus esse possit, an commodè in eclogam induci queant messores, vinitores, olitores, aucupes, venatores, piscatorésque, quorum vita propemodum omnis magis difficilis est, & actuosa, quàm vt decenter vel cantilenis, vel collocutionibus, quæ vitæ pastorali magis otiosæ conueniunt, indulgere queat. Nam pleraque fiunt ruri, quorum vel duritas mœstitiáque cantum non admittat, vt aratio; vel repudiet solitudo, vt venatio, piscatus, & aucupium. quod tamen pluribus suo loco disputabitur.

Quæ sit forma huius carminis?

Verùm ad rectam carminis bucolici constituendi rationem non satis est, vt tractet de re pastorali: habentur enim pleraque in Hesiodi ἔργοις, & in georgicis Virgilij, quæ pertineant ad munus pastoris, neque pastoritia sint. Ex quo perspicuum est, præter materiam pastoralem, quam pastoris actionem statuimus, peculiarem esse constituendo huic carmini formam, quâ distinguatur à cæteris.

Poëticæ in vniuersum sumptæ formam apud Platonem Socrates vult esse fabulam, imitatio-

nem Ariſtoteles. Non diſputo quid inter vtramque ſit diſcriminis: quæro an ipſa imitatio forma ſit carminis paſtoralis. Certum enim eſt epopœiam à tragœdia ſolâ imitationis ratione diſtingui: quòd hæc actione imitetur, illa verò narratione. Paſtoralis verò poëtica, eſt imitatio actionis paſtoralis, ſiue nudâ narratione, vt Alexis Virgilij, & Thalyſia Theocriti, in quibus poëta nunquam deponit perſonam, ſed ſolus per ſe loquitur; vel actione, vt Tyrſis, & Tityrus; vel vtrâque, partim narratione, partim actione, vt Cyclops, vel Pharmàceutria, in quibus partim loquitur poëta, partim inducit loquentes. Vnde dicitur à veteri Scholiaſte Theocriti noſtri: βουκολικὸν ποίημα, μίγμα παντὸς εἴδους, καθά περ συγκεκραμένον. *Bucolicum poëma, mixtio ex omni ſpecie quodammodo compoſita.* Eſt enim, inquit ille, διηγηματικὸν, δραματικὸν, καὶ μικτόν. Quod declarare videtur Ariſtoteles, ſed obſcurè his verbis: ἐν ταῖς εἰρημέναις τέχναις ἅπασαι μὲν ποιοῦνται τὴν μίμησιν.... τούτοις δὲ χωρὶς, ἢ μεμιγμένοις. *In artibus appellatis imitantur omnes.... aliæ aliquam ſeorſim imitandi rationem ſibi proponunt, aliæ mixtam.* Quod poſtremum, cùm peculiare ſit carmini bucolico, primam eius rationem, naturámque conſtituit. Vnde triplex apud Scaligerum cap. 4. lib. primi poëtices ſtatuitur illius ſpecies, μονοπρόσωπον, ἀμοιβαῖον, & mixtum. Quod ab Heinſio in Theo-

criticis lectionibus est obseruatum. Sic ille in rem nostram satis disertè: *Bucolici carminis character nihil aliud est, quàm κοινισμὸς quidam, ut ita loquar, & commistio omnium characterum, siue δραματικὸν, siue ἐξηγητικὸν, siue μικτόν.* Ex quibus perspicuum est, rationem imitationis carmini pastoritio propriam, esse mixtam: cùm in aliis poëticæ partibus vna simpléxque sit, saltem non tam varia & multiplex, vt in tragœdia actio, in epopœia narratio. Nunc de fabula, moribus, dictione, sententia, quæ quatuor ad naturam cuiuslibet carminis pertinent, qualia hoc in carmine esse debeant, breuiter explicandum. Cap. 99

De fabula carminis pastoralis.

De fabula quam vocat Aristoteles cap. 6. *σύστασιν τῶν πραγμάτων, constitutionem rerum*, vnum habeo, quod dicam: hanc vt in cæteris poëticæ partibus, vt dictum à Philosopho, sic in pastorali esse animam. Vnde dictum accipimus à Socrate apud Platonem in carmine, quod fecerat, nihil deesse præter fabulam. Debet igitur esse in poëtica pastorali, vt in cæteris sua fabula, ne si defuerit, desinat esse poëtica. Quemadmodum in Sileno Virgiliano, quo fabulosorum temporum disciplina propemodum omnis continetur, Silenum somno, vinóque oppressum inuadunt duo pastores, spe carminis non semel ab eo delusi, nexis floribus sopitum obligant: Ægle superuenit timidis, os senis vino splendidum interpin-

git moris: ridet innocentes dolos Silenus, petit se solui vinculis: tum præparato carmine, nymphæ, puerorúmque curiositati satisfacit. Mira canit vates incomparabilis, lætantur rupes, valles responsant, audit omnia, ceu Phœbo meditante, beatus Eurotas, laurósque consitas ad ripam, hanc ediscere cantilenam imperat.

——— *beatus*

Audiit Eurotas, iussitque ediscere lauros.

Sic sua cuilibet vel eclogæ, vel idyllio debet esse fabula, quæ totius rei constitutio sit: at non illa perplexa repentinis mutationibus, & valde insperatis: vt Adonis Marini, cuius fabula licèt de pastore sit; tamen propter grande illud episodiorum & mutationum instrumentum, minimè pastoralis est; quæ vt indoli pastoritiæ respondeat, simplex sit, necesse est, qualis est Aiax Sophoclis, in qua nulla fortunæ mutatio.

Qui mores? De moribus teneatur illud imprimis præceptum ab Horatio ad Pisones.

Reddere personæ scit conuenientia cuique.

Quod vt de poëtica vniuersali præceptum est, ad singularem hanc nostram pertinet. In quo peccat non mediocriter Torquatus Tassus in Amynta, Bonarellus in Phyllide, Guarinus in Pastore fido, Marinus in idylliis, & plerique alij ex Italis, qui pastores inducunt nimis politos, & elegantes, in quibus exquisitissimam politis-

ſimæ vrbanitatis elegantiam exprimunt : quod tametſi amœniſſimum eſſe videatur, reprehenſione tamen ſuâ, quidquid excuſet vterque Veratus, apud prudentes non carebit. Eſt enim contrà quàm viſum erat Minturno lib. 2. de poëta, qui ſic habet: *Summiſſæ inducuntur perſonæ, politiores quidem comicæ, paſtorales verò inelegantiores, quæ rudem prorſus in ſolitudine vitam agant*, non cultam, & elegantem. Quod erroris perabſurdi notatum eſt ab Iaſone Denore doctore Patauino in ſua de poëtica diſſertatione. Quiddam non abſimile Megarenſibus exprobrabat Ariſtoteles, qui decorum non ſeruabant in theatro: viles enim perſonas inducebant, cum regio apparatu, & purpuram dabant comœdiæ : καὶ κωμῳδοῖς χορηγῶν, ἐν τῇ παρόδῳ πορφύραν εἰσφέρων. Fruſtra eſt autem, quod Veratus, vt exquiſitos illos Fidi Paſtoris ſui ſermones, & ſublimis cuiuſdam ſenſi ſententias excuſet, certamen Caſtoris, Gratias, Herculem interfectorem leonis, & ſimilia Theocriti idyllia, quæ ſunt in genere ſublimi, contra Iaſonem Denorem obtendat: non enim paſtoralia ſunt. Conſulendum ſuper ea re Theocriti & Virgilij iudicium, quorum alter de induſtria tribuit ſuis paſtoribus, & ſermonis ruſticitatem, in Doricâ dialecto, & interdum vitioſitatem orationis; alter verò deditâ operâ paſtores inducit cum aliquo etiam ſtudio Ethic. 4. cap. 6.

affectatæ ignorationis : quemadmodum obſeruatum à Seruio, vt patet in Melibœo, qui Oaxem fluuium ſtatuit in Cretâ, cùm ſit in Meſopotamia. Quod ab vtroque factum, vt ad paſtorum, qui per ſe rudes ſunt, neque ita acuti, mores magis conuenienter vterque diceret. Ex quo planum eſt eos errare turpiter, qui paſtoribus morum elegantiam tribuant. Neque video, quid Veratus dum tam multa c[illegible]ſatur de politis paſtorum Arcadum moribus, Polybio reſpondere queat, qui vocat Arcadas homines vitæ difficilis & auſteræ, tum aſperitate loci iniqui montibus, tum cæli inclementiâ.

At vt eſt reprehendenda in carmine paſtorali nimia morum vrbanitas, ſic εὐήθεια, non illa quidem, cuius meminit Plato lib. 3. de repub. quæ pertinet ad ſimplicitatem morum, ſed ruſticus ſtupor is, quem deſcribit Theophraſtus ἐν ἀγροίκῳ, & aſperitas agreſtis, & inconcinna, de quâ Horatius ad Lollium, meo iudicio, hoc in carmine non videtur tolerabilis. In quo abſurdus eſt, ſuprà quàm dici poteſt, bonus Mantuanus, qui paſtores tam ſtolidè rudes, & ineptos perquàm miſerabiliter inducit. Quod à quodam interprete, Theocrito exprobratur, qui βουκολίας nimis retinens, agreſtis interdum, & horridulus quibuſdam videri ſolet : ſed excuſationem habet ſatis iuſtam, quòd hæc rudio-

ri adhuc sæculo cecinerit.

At vt omnia pastoribus sunt intra modum, quæ lex ex purissimis, sanctissimísque naturæ fontibus petenda, ipsi mores ne nimis aut agrestes sint, aut exquisiti. Qui modus teneri non difficulter poterit, si mores pastorum ad indolem ætatis aureæ, quâ ætate nemo, si credimus Guarino, non pastor fuit, accommodentur: quemadmodum visum Nannio in præfatione ad bucolica Virg. mores enim requirit, *qui sæculum aureum repræsentent.* quæ fuit causa cur Virgilius ipse, in Pollione ætatem auream descripserit, quam bucolico carmini propriam sentiebat. In omni enim vita pastorali, nulla viuendi excellentior forma, quàm quæ vigebat aureâ ætate. Quòd valere poterit ad temperandos, moderandósque huius carminis affectus, perfectámque rationem constituendam. Totum autem illud è naturâ pastoritiæ conditionis, quæ cultum non desiderat, erit petendum.

Sententia verò conspiret cum moribus, vt proba sit; vtque mores sunt simplices, & candidi, candida, simpléxque sit, sensa mentis habeat non magnopere exquisita. In quo peccatum ab Italis, qui nimis curiosè quærunt ea, quæ spirent ingenium, & acumen, parum meo iudicio consideratè: nam quis ruri, vbi debent omnia simplicitatis esse plenissima, fucum quæ- *Sententia quæ?*

rat, aut ferat luxum, vbi cultus omnis ornatúſque offendit? Audiendus ſuper ea re Pontanus. *Sententia*, inquit, *parum exquiſita argutáque ſit, comparationes abiectæ, quales rerum, perſonarúmque conditio deſiderat*. At licèt nimij cultus confectatio reiicienda ſit omnis: ne tamen ſententia frigida, iacénſque ſit, ſenſus habeat, dolores, & affectus.

In Virgilij bucolica.

Eclog. 2. *Mori me denique cogis.*

Eclog. 8. *Nil ille deos, nil carmina curat.*

Contextus autem orationis non admittat multùm fuſos, continuatóſque: anguſti enim ſpiritus eſt, & perexigui poëtica paſtoralis. quod fuſiùs erit dicendum in tradendis de ea præceptionibus. At quamuis comœdiæ popularem in dicendo conſuetudinem debeat imitari, non tamen illius veteris, cuius notum os, notáque licentia. Sit liberalis, & verecunda, honeſtæque ingenuitatis pudorem referat, qui aureæ ætatis erat proprius.

Quæ dictio huic carmini propria?

Dictio ſimplex ſit illa quidem, at elegans, & munda, quæ caſtigatiſſimæ latinitatis puritatem, integritatémque præ ſe ferat: de qua Pontanus in Virgilij bucolica, ſic præcipit: *In bucolicis dictio ſummiſſa, quotidiani ſermonis conſuetudini vicinior, non multi ſanguinis, ſed ſuum tamen ſuccum habens, integritatémque valetudinis*. Certè Virgilius in bucolicis, iiſdem verbis vſus eſt, quibus in foro & ſenatu

ſenatu Tullius. Tam purè Latinéque loquitur Tityrus in vmbra fagi, quàm ipſe in palatio Cæſar Auguſtus, vt præclarè obſeruatum eſt à Modicio in defenſione Virgilij. Quod non factum à Theocrito: *cuius Muſa ruſtica, & paſtoralis*, inquit Fabius, *non forum modò, verùm ipſam etiam vrbem reformidat.* Cap. 7. Quod mulieribus Syracuſanis exprobratur ab homine Alexandrino, in celebritate Adonidis apud Theocritum. Cùm enim Doricè loquerentur in vrbe, non tulit vir vrbanus, & odioſam earum pronunciationem, vt ipſi videbatur, reprehendit, non ſine obiurgatione ſatis acerbâ:

Τρυγόνες ἐκκναισεῦντι πλατυάσδοισαι ἅπαντα.

Adeò grauis in vrbe videbatur Doricæ pronunciationis vaſtus ille, agreſtíſque ſonus ad ruſticitatem ſermonis exprimendam magis accommodatus. Vnde obſeruat Probus multò maiori negotio bucolica ſcripta à Latinis, quàm à Græcis; quòd non diuerſus ſit ab vrbano ſermo ruſticus apud Latinos, vt eſt apud Græcos: neque ſermo ipſe Romanus, vt animaduerſum eſt à Fabio, Lib. 12. c. 10. recipere videtur illam ſolis conceſſam Atticis venuſtatem, quam carmen bucolicum deſiderat. *Non poſſumus eſſe tam graciles*, inquit, *ſubtilitate vincimur, proprietas penes illos eſt certior.* Et, *tenuiora hæc, ac preſſiora Græci meliùs.* Quin ſi Tullio credimus, *Græca dictio plus affert ornamenti ad dicendum, quàm*

Latina : plus enim habet venuſtatis, & delicatiſſimæ illius amœnitatis, quam requirit character bucolicus.

Quis character bucolici carminis?

At in carmine paſtorali, cuius non ita bene nota indoles, quid ſit forma illa, quam Græci χαρακτῆρα vocant, non facile eſt dicere. Vt tamen certâ ratione res definiatur, tenendum illud imprimis, quód à nobis ſæpe eſt obſeruatum: carmen paſtorale ætatis aureæ eſſe proprium. Nam vt docet Tullius in Oratore, *quidquid eſt, de quo ratione & viâ diſputatur, id ad vltimam generis ſui formam ſpeciémque eſt redigendum.* Quod in Caluitij encomio innuit Syneſius, cùm docet poëticam facere res ſecundùm opinionem, non ſecundùm veritatem, πρὸς δόξαν, οὐ πρὸς ἀλήθειαν. Paſtoris autem conditio, vt ad vltimam perfectionem reducatur, ad mores & tempora mundi adhuc innocentis, qualis deſcribitur à fabulis, referenda eſt. Vt autem præcipua virtus beatæ illius ætatis fuit ſimplicitas: eadem eſſe debet præcipua dos, & quaſi character carminis bucolici, in quo fabula, mores, dictio, ſententia innocentiſſimæ pleniſſima debent eſſe ſimplicitatis. Nam primæ illius ætatis fuit illa laus, vt viuendi candidè & innocenter; ſic purè & ſimpliciter loquendi. Ita quemadmodum epico carmini grauitas, ſuauitas melico, comico iocus, affectus tragico, elegiaco molli-

Simplicitas character huius carminis.

ties, epigrammatico acumen: sic propria pastorali, simplicitas studiúmque simplicitatis, quod monet Theocriti editor : *Idea bucolicorum vbique καθαρὰ est, & κατὰ τὴν ἀφέλειαν ἐπιτυχεστάτη, pura, & in iis quæ pertinent ad simplicitatem, valde felix*, vt illud Virgilij:

grauis cantantibus vmbra.

Iuniperi grauis vmbra.

quo nihil, vt mihi quidem videtur, rusticius, simpliciúsque dici potest. Quæ causa fuit, opinor, Macrobio, cur hoc carmen humile, & in humili positum diceret; & cur quibusdam Virgilij Tityrus sub tegmine patulæ fagi recubans displiceret. Belli iudices, quibus vtinam bonam mentem Musæ dent, ne sint, quod esse nolint, præterea ridiculi. In eo tamen superatus à Theocrito Virgilius, de quo sic Modicius apud Pontanum. *Maxima laus Theocriti, quòd pastoritiam simplicitatem omnium optimè fuerit imitatus. Nam Virgilius immiscuit allegorias, & res alias quasdam, quæ maiorem eruditionem, & sensum altiorem habent, quàm vt humili figuræ conuenire videantur.* Minuendus tamen hoc loco error illorum, qui putant id genus carminis, cùm per se tenue, simpléxque sit, tenuioribus ingeniis magis esse consentaneum, quàm excellentibus, & summis. Sic enim existimo, vt facili, & nudâ simplicitate nihil elegantius, sic nihil maioris, vel operæ, vel ingenij esse posse: & magni sincerique iu-

Lib. 3. Saturnal.

Latina : plus enim habet venustatis, & delicatissimæ illius amœnitatis, quam requirit character bucolicus.

Quis character bucolici carminis?

At in carmine pastorali, cuius non ita bene nota indoles, quid sit forma illa, quam Græci χαρακτῆρα vocant, non facile est dicere. Vt tamen certâ ratione res definiatur, tenendum illud imprimis, quod à nobis sæpe est obseruatum: carmen pastorale ætatis aureæ esse proprium. Nam vt docet Tullius in Oratore, *quidquid est, de quo ratione & viâ disputatur, id ad vltimam generis sui formam speciémque est redigendum.* Quod in Caluitij encomio innuit Synesius, cùm docet poëticam facere res secundùm opinionem, non secundùm veritatem, πρὸς δόξαν, οὐ πρὸς ἀλήθειαν. Pastoris autem conditio, vt ad vltimam perfectionem reducatur, ad mores & tempora mundi adhuc innocentis, qualis describitur à fabulis, referenda est. Vt autem præcipua virtus beatæ illius ætatis fuit simplicitas: eadem esse debet præcipua dos, & quasi character carminis bucolici, in quo fabula, mores, dictio, sententia innocentissimæ plenissima debent esse simplicitatis. Nam primæ illius ætatis fuit illa laus, vt viuendi candidè & innocenter; sic purè & simpliciter loquendi. Ita quemadmodum epico carmini grauitas, suauitas melico, comico iocus, affectus tragico, elegiaco molli-

Simplicitas character huius carminis.

ties,epigrammatico acumen:sic propria pastorali, simplicitas studiúmque simplicitatis,quod monet Theocriti editor : *Idea bucolicorum vbique καθαρὰ est, & κατὰ τὴν ἀφέλειαν ἐπιτυχεστάτη, pura, & in iis quæ pertinent ad simplicitatem,valde felix*,vt illud Virgilij:

grauis cantantibus vmbra.

Iuniperi grauis vmbra.

quo nihil , vt mihi quidem videtur, rusticius, simpliciúsque dici potest. Quæ causa fuit, opinor Macrobio , cur hoc carmen humile, & in humili positum diceret; & cur quibusdam Virgilij Tityrus sub tegmine patulæ fagi recubans displiceret. Belli iudices, quibus vtinam bonam mentem Musæ dent, ne sint, quod esse nolint, præterea ridiculi. In eo tamen superatus à Theocrito Virgilius, de quo sic Modicius apud Pontanum. *Maxima laus Theocriti, quòd pastoritiam simplicitatem omnium optimè fuerit imitatus. Nam Virgilius immiscuit allegorias, & res alias quasdam, quæ maiorem eruditionem, & sensum altiorem habent, quàm vt humili figuræ conuenire videantur.* Minuendus tamen hoc loco error illorum, qui putant id genus carminis, cùm per se tenue, simpléxque sit, tenuioribus ingeniis magis esse consentaneum, quàm excellentibus, & summis. Sic enim existimo, vt facili, & nudâ simplicitate nihil elegantius, sic nihil maioris, vel operæ, vel ingenij esse posse : & magni sincerique iu-

Lib. 3. Saturnal.

dieij fit oportet, qui in eo operam cum laude ponat. Nulla enim poëticæ pars est, quæ ſucci plus requirat: ſi quid enim laxum, non preſſumque ſit, illud reſpuit omne, ne concidat illico, ſi materiæ humilitas, orationis vi, ac quibuſdam quaſi lacertis non ſuſtineatur.

Quæ dos eſt altera, & virtus huius carminis, vt Timanthis artem imitetur, de quo ſic Plinius: *Timanthi plurimum adfuit ingenij: in omnibus operibus eius intelligitur plus ſemper, quàm pingitur: & cùm ars ſumma ſit, ingenium tamen vltra artem eſt.* Quæ laus fuit propria Virgilij, cùm cæteri, præſertim tirones, ſi pluuius arcus, aut riuus deſcribendus ſit, profundant ſeſe, nec ſibi temperare poſſint. Hæc eſt autem carminis paſtoritij indoles, vt quædam quaſi magiſtra taciturnitatis, plurima conferat in voces quampaucißimas; & ita breue preſſumque ſit, quod dicat, vt laudem quærat præcipuam, quandam quaſi dicendi parſimoniam, quemadmodum illud Virgilij ecloga 1.

Lib. hiſt. nat. 35. cap. 10.

Barbarus has ſegetes? en quò diſcordia ciues
Perduxit miſeros.

Quàm breue autem iſtud, & minutè conciſum! ſed quàm ſenſi plenum! eodem loci:

Mirabar, quid mœſta deos Amarylli vocares?
Tityrus hinc aberat.

Sic ille paſſim: vt,

Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes? Eclog. 8.
Et istud ecloga 2.

Quem fugis ah! demens: habitarunt dij quoque siluas. Ecloga 2.
Quod Virgilius expressit ex Theocrito, cuius omnes passim periodos, & præcipuè idyllij tertij videmus esse sine illigationo, ἀσυνδέτοις, καὶ ἀπολύτοις, vt & sensus sit pressior, & vehementior affectus, quod patet in istis:

Πάντα δ' ἔναλλα γένοιτο, καὶ ἁ πίτυς ὄχνας ἐνείκαι: Idyll. 1.
Δάφνις ἐπεὶ θνάσκει.

Et illud ex Amaryllide:

ἁ δ' Αταλάντα
Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη.

Istiusmodi pleraque apud Theocritum, & Virgilium reperiat, cuicumque pastorales vtriusque lusus desidiosâ delectatione perlegere vacabit. In quo præcipuam characteris istius carminis laudem positam puto: quod non satis meo iudicio attenditur, ab iis à quibus pastoralia scribuntur. Quod scribendi genus pati nondum potest, nisi valde difficulter, sermonis cùm nostri, tum Itali fusa nimis loquacitas. In eo enim peccatum est ab hominibus quidem nostris, qui patrio sermone eclogas scripserunt; sed multo magis ab Italis, qui vt abundant ingenio, in rebus acutè, copioséque excogitandis non possunt tenere se, quin quidquid venit in mentem effundant, nihílque habent ægrius, quàm

vt sibi temperent. quod perspicuum est in Marini idylliis, cæterísque ab illa gente bene multis, qui hoc carmine scripserunt. Nam nisi frequentibus moris, crebrísque respirationibus, in carmine pastorali, interpuncta sit oratio, non placebit. Eâ autem laude Theocritum meo iudicio longè superauit Virgilius, quòd nec continenti spiritu tam multa proferat, atque ille, qui linguæ suæ garrulitati nimio plus indulsit; & in iis ipsis, quæ dicit, multo sit pressior, religiosiórque in eo, quod dissimulari oportet, reticendo: quod est aliquod eloquentiæ genus non vulgare, de quo Tullius ad Atticum: *Rarum est loqui eloquenter, rarius eloquenter tacere.* Quod non vident imperiti, qui faciliùs quod non aptè dicitur, reprehendere, quàm quod prudenter tacetur, laudare solent. Pleraque alia dici possunt in hanc sententiam: sed non est necesse, cùm nihil sit de quo minus dubitari queat. Quapropter poëta pastoralis, dum intelligatur quid dicat, summam dicendi laudem putet esse, breuitatem.

Epist. l. 13.

Quid sit autem, cur natura bucolici carminis sermonem tam parcum postulet, causam certè aliam non video, nisi quòd simplicitatis ita amans sit, vt non modò nihil ferre queat pompæ illius, & ostentationis, quam præ se fert carmen epicum, quod per sese fusum, & æquabi-

le esse debet: verùm etiam vt illud ipsum, quod ostendit, dissimulet. Quemadmodum Galatæa Damonis, quæ fugit tum, cùm maximè videri vult.

Et fugit ad salices, & se cupit antè videri. Eclog.3.

Quod non tam malitiosæ dissimulationis est, vt visum nonnullis, quàm ingenui pudoris, & verecundantis cuiusdam modestiæ specimen familiare simplicitati. Id autem *rarum in successu artis picturæ*, dicitur à Plinio, *vt ostendat etiam, quæ occultat.* Quod ita difficile est, vt summorum tantùm ingeniorum, proprium opus esse possit. Nam infinita loquacitas eorum propria est, in quibus est mediocritas ingenij. Lib.35.hist. natur. cap. 10.

Tertia laus characteris bucolici est *χαριεντισμὸς*, is scilicet, qui contineat venustatem, suauitatémque sermonis, & quidquid est rerum earum, quæ in regno amœniorum Musarum deliciæ appellantur: qualis fuit illa laus concessa Virgilio à Musis campestribus, vt nobis auctor est Horatius libro primo Sat. 10.

molle, atque facetum
Virgilio annuerant gaudentes rure Camœnæ.

Quod venustissimi decoris, & excultissimæ cuiusdam elegantiæ donum ait esse Fabius. Sic enim locum hunc interpretatur, in quo assentitur Tullio, qui vocat 3. de Oratore Atticos omnes facetos, quod est elegantes. Contrà Libro 6. cap. 3.

quàm vulgò sentiant interpretes huius loci. Nam facetum illud festiuitatis, ac ioci, quo risus captari solet, si tribueret Virgilio Flaccus, meritò rideretur; cùm risus comœdiæ, venustas eclogæ propria sit. Omnes enim deliciæ, omnia γλυκύτητος χρήματα, omne sal illud, à quo Venus orta dicitur, sic propria sunt huius carminis; vt nihil dicax, scurrile, aut ridiculum pati queat. In eo nihil præter mel, lac, rosas, violas, cæteràsque istiusmodi suauitates adhibendum: sic vt in Adonidis horto, quod aiunt Græci, hoc est in loco amœnissimo, versari te putes. Nam cùm per sese tenue sit, quod parat ecloga, nisi puritatem, venustatémque adhibeat verborum, placere non poterit. Quapropter idem faciat, quod factum ab Attico suo monet Tullius, qui cùm pasceret amicos olusculis, placebat, quod *in filicatis lancibus, & splendidissimis canistris* ea proponeret. Sic fructus suos, herbásque cum aliquo ornatu, sed simplici, vt filicatæ lancis, & canistrorum, qui parabilis est, nec abhorrens à ruris consuetudine, proponat ecloga. Fugiendus tamen, quod in accurata simplicitate satis caueri non potest, omnis verborum fucus; & quod est difficillimum in omnium elegantiarum copiâ, concinnitatis vitanda quamdiligentissimè omnis consectatio. *Est enim*, vt docet Fabius, *quædam diligentiæ molestissima peruersitas*: omnibus enim summis suauitati-

Ad Attic. lib. 6. epist. 1.

Lib. 1. cap. 10.

uitatibus fastidium solet esse finitimum. Quapropter vt mulieres quædam sunt inornatæ, quas idipsum deceat quammaximè: sic hoc carmen, vt non indecens sit, vel neglectum interdum esse debet, vel illud, quod in eo pictius, & comptius est, non apparere: adeóque diligens quædam negligentia affectanda. Quod vt commodè fiat, remouendus cultus elegantior, qualis est pigmenti, & calamistrorum: fucatus splendor omnis reiiciendus; modò tamen nitor quidam, & munditia sermonis simplex, & non odiosa, in qua luceat ingenij forma, retineatur. In hoc autem ipso magna quædam est, & incredibilis naturæ vis, (nihil enim repugnante naturâ, decere potest) quæ valere tamen difficulter admodum poterit, nisi ab arte perpoliatur.

Tria sunt igitur, quibus character pastoritij carminis, tanquam suis partibus continetur; simplicitas tum sententiæ, tum dictionis; concisæ, sed sensi, succíque plenæ orationis breuitas; & elegantissimæ cuiusdam, venustissimæque amœnitatis suauitas.

Nunc de causa efficiente huius carminis; postremò de finali differendum. *Causa efficiens.*

Duas poëticæ causas effectrices esse vult Aristoteles, insitum homini, quem ζῷον μιμητικώτατον appellat, imitandi studium; tum consequen- *Cap 4. de poët.*

rem ab ipsa imitatione delectationem. Quæ quidem causæ remotæ sunt: proximæ verò ars, & natura. Vt autem variæ in dolis affectiones dederunt locum variis poëticæ formis, (nam vt animaduersum ab philosopho, διεσπάσθη κατὰ τὰ οἰκεῖα ἤθη ἡ ποίησις, *secundùm indolem cuiusque varias accepit formas*) nati ad sublimiora imitati sunt actiones splendidas, & illustres; viles, qui animi fuere deiecti, ac humilis. Et vnusquisque pro varia naturæ motione incitationéque, hanc, vel illam poëticæ formam amplexi sunt; sic enim ille: ἐφ' ἑκατέραν τὴν ποίησιν ὁρμῶντες κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν. *Circa singulas poëtices species excitati, pro suâ indole, singuli quique*. De Homero affirmat Dio Chrysostomus, quòd naturam acceperat à diis immortalibus ad omnia carminum genera idoneam; id autem animi propemodum, vt ipse annuit, diuini est: οὐκ ἄνευ θείας καὶ δαιμονίας φύσεως, *non sine diuina & beata natura.*

De poët. cap. 4.

Oratione 53.

At vt de cæteris poëticæ partibus omittam dicere, quæ mentis affectio ad hoc carmen requisita sit, manifestum ex dictis. Vt enim omnia in eo plenissima debent esse simplicis, & nudæ amœnitatis, ingenium requirit plenum venusti cuiusdam leporis, & ad amœnitatem planè natum, quod magnæ est excellentísque naturæ. Quidquid enim quouis in genere delicatum est, & elegans, illud esse solet excellen-

tiſſimum. Atque eiuſmodi indoles, cum inflammatione quadam mentis, artiſque diſciplinâ & inſtitutione, coniuncta carmen facit paſtorale.

Finis huius carminis.

De fine huius carminis res non eſt tam expedita. Nam quod pertinet ad finem poëticæ in vniuerſum ſpectatæ, locus eſt, in quo triumphant exagitatores poëtarum, cùm poëticam prædicant inutilem & otioſam, viri ſcilicet amantes vtilitatis, ſed honeſtatis bonarúmque rerum parum fortaſſe ſtudioſi, qui neſciant omnes præclaras artes à poëtica eſſe profectas: quæ

Quid pulchrum, quid turpe, quid vtile, quid non, Horat. poët.
Pleniùs & meliùs Chryſippo & Crantore dicit.

Illa enim eſt, quæ tanquam caſta, & incorrupta virgo vitæ benc inſtituendæ viam, rationémque tradit hominibus; qui poſtmodum impuræ, impudentiſque philoſophiæ præceptionibus parum verecundis cœperunt deprauari. Quis enim neſciat ab epico ſummi viri ſummum exemplar tradi, à tragico purgari affectus animi, vtplurimùm turbulentos, informari mores à melico lyricóque, & deorum heroúmque laudes celebrari; nullámque adeò poëticæ partem videri otioſam?

At ita ſit de cæteris, de paſtorali certè res ita non habet. Si canis heroëm, ad rerum præclarè ab eo geſtarum imitationem incendis ani-

mos: de carmine autem bucolico quid simile futurum? *Qui legit carmen heroïcum, quæ sunt heroïcæ virtutis discit, & heroïbus se similem esse optat: qui tamen bucolicum legit, neque discit rationem alendi pecoris, neque se pastorem optat.* Quæ fusè Modicius habet apud Pontanum in symbolis ad bucolica Virgilij.

At cùm comœdiæ propositum sit, inquit Hieronymus ad Furiam, *humanos nosse mores, & describere.* Quod innuit Demea apud Terentium:


Addp. act 3. sc. 4. *Inspicere tanquam in speculum in vitas omnium;*
Atque ex aliis sumere exemplum sibi.

vt vrbanæ, ac popularis vitæ disciplina per illam informetur: cur non dabit eandem operam poëtica pastoralis, vt rustica & pastoralis vita instituatur carmine bucolico? Cùm enim ætatis aureæ partus sit, innocentissimos priscæ simplicitatis mores, vt ab omni fuco nudi sunt, deteriori æuo repræsentabit. In quo, suo in genere commendabilis est, quæ id habeat pro instituto, vt in exprimenda vitæ illius, quæ ruri agitur imagine, bonam fidem, candorem, simplicitatem doceat, quæ virtutes priuatorum sunt: vt heroïcum carmen docet summam fortitudinem, & prudentiam, quæ principum, & imperatorum. Interest autem politicæ administrationis, vt quemadmodum poëticæ certa pars est,

quâ ciuium in vrbibus: sic etiam certa sit, quâ rusticorum in agris mores instituantur. Quod etsi non faceret poëtica pastoralis, vt facit, non propterea videretur otiosa, quæ valere posset ad oblectandos animos suauitatis suæ lenociniis. Non enim potest dici, quantum carminis huius vsu, & studio hilarari cœperint reipublicæ Romanæ florentissima tempora, quibus Virgilius scripsit hoc carmine: quo Augustus, Mecœnas, Asinius Pollio, Alphenus Varus, Cornelius Gallus, ingeniorum beatissimæ illius ætatis deliciæ, mirum in modum delectati sunt. Quidquid enim est suauitatis in amœnioribus Musis, hoc carmine omnium suauissimo continetur. Quòd si respuendum sit illud omne, à quo nihil speratur vtilitatis, aurium & oculorum voluptati erit illico renunciandum: & continuò tollendæ erunt præclaræ artes illæ, musica, & pictura, quibus honestissimi quique magnopere solent delectari. Neque profectò credibile est tam multos excellentissimis ingeniis viros, qui poëticæ dederunt operam, ad hoc studium applicuisse animum, si tam futile esset & friuolum, ac suspicantur quidam ridiculè fastidiosi, quibus plus placet philosophiæ seueritas, & quædam quasi deformitas, ac mœstitia sermonis. At nihil est quod sperni plus debeat, quàm istorum iudicium: cùm enim poë-

ticæ ſtudio hominum mentes ad humanitatem fingi imprimis, formaríque ſoleant: eos qui poëticam vel oderint, vel inutilem prædicent, oportet ab omni humanitate magnopere eſſe alienos.





PARS TERTIA.

PRÆCEPTIONES, Quibus traditur ars omnis, & disciplina scribendi carminis pastoritij.



IN tradenda de ſcribendo carmine paſtorali diſciplina, non intendam digitum ad riuulos, quos ſectari, puſilli eſt & exilis ingenij, ſed ad ipſos fontes. Quod tamen antequam faciam, mihi imprimis admonendi ſunt plerique, quàm difficile ſit hoc carmine ſcribere, quod ſatis non perſpiciunt. Cùm enim per ſeſe tenuis, in qua verſatur, materia ſit, nihil præ ſe ferre videtur, quod valde ſit operoſum: in quo errant ipſi non mediocriter: habet enim tanto plus oneris, quanto veniæ minus: quod dictum ab Horatio de comœdia. Idem de omnibus iis, quæ pertinent ad delectationem, ſentiendum. Quidquid enim eſt voluptatis, non neceſsitatis, id niſi ſit exquiſitiſsimum, faſtidio erit finitimum, vt inter epulas diſcors ſymphonia, craſſum vnguentum, & papauer ſardo melle aſperſum offendunt: quia ſine illis cœna duci poterat. Nihil

enim est magis proximum satietati, quàm quod in vnoquoque genere amœnitatis est, & deliciarum. Nam quamuis dulcedine sensus capiatur interdum: citò tamen respuit id, quod dulce est, & aspernatur: & vt habet Lucretius:

Lib. 4. de rerum natura.

———— medio de fonte leporum
Surgit amari aliquid quod in ipsis floribus angit:

quod interpretatur Lambinus, ἐν ταῖς τῶν ἡδονῶν ἀκμαῖς, hoc est, tum maximè, cùm deliciarum sensus percipitur.

Præterea cùm carmen pastorale sit eiusmodi, vt nec negligentiæ patiens sit, nec diligentiam supra modum anxiam ferre queat, non potest non esse difficillimum: cùm præsertim in eo desideretur venustas dictionis, sed cultu non nimis exquisito; simplex candor & natiuus, sine humilitate; leporum, ac venerum omnium copia, sed cum parsitate: quæ certè difficultatem habent non mediocrem: cùm ingenio, cuius ea est indoles, vt se profundat, temperandum magis sit, quàm indulgendum; & sustinendus ille, qui per sese adeò procliuis est, mentis impetus. Quod fieri commodè non potest, nisi ab iis, in quibus iudicij summa sit vis, & vsus earum rerum, quæ tradi solent à bonis artibus. Postremò suauitas ingenij, & quædam quasi felicitas: at non illa tam curiosa, qualem tribuebat Horatio Satyrus: ne decorem simplicitatis

tatis tollat ars nimia. Quam operam non existimo, nisi desidiosissimo hominum politiorum otio proponendam. Quid enim difficilius esse potest, quàm semper esse ruri, nunquam agrestem; res humiles, & abiectas dicere, non humiliter & abiectè; gracili tenuíque auenâ canere, non tenuiter; perfundere omnia leporum, ac suauitatum dulcedine, nunquam mouere satietatem? Quod erat declarandum: vt carminis pastoritij disciplina meliùs tradi posset: nuda enim illa, quam requirit tum orationis, tùm sententiæ simplicitas, imitabilis quidem videtur per sese esse cogitanti, sed nihil est experienti minùs: vbi potissimùm ea scriptio adhibenda est, quæ paucorum reprehensionem pertimescat. Neque id erat dissimulandum, ne temerè peccetur in eo à nonnullis, qui difficultates istas non satis considerant. Nunc ad ipsas præceptiones veniendum: vt enim nihil magnum sine natura perficit ars, sine qua labor omnis in instituendo, vanus est; ita naturæ vis tanta esse non potest, quæ sine vsu, & disciplinâ, magnum quiddam, ac memorabile efficere posse videatur.

At difficile est præcipere id, de quo hactenus nihil præceptum sit: vbi enim nulla parent vestigia, nisi pedem figas in vacuo, vix habebis certum iter quod teneas. Faciam tamen in re

tam difficili, quod factum video ab Aristotele, qui vt præciperet de epico carmine, sibi proposuit Homerum, à quo exemplum tradendæ de illo carmine disciplinæ sumeret: à Theocrito, & Virgilio, carminis pastoritij principibus viam sumo, rationémque totius, ea de re, præceptionis instituendæ. Quacumque enim de arte præcipitur: de perfecta, & excellenti præcipi solet. quod ab iis peti debet, in quibus perfecta, excellénsque sit.

Prima preceptio de materia. Primum præceptum de materia sit, quæ actio pastoris est, vel ficta ad ingenium indolémque pastoris. Quamuis enim verecundum simpléxque sit carmen pastoritium: sublimiora tamen argumenta non recusat, modò ea sibi suóque ingenio, κατὰ τὴν ἀλήθειαν, accommodet. Quod tametsi non factum à Theocrito, qui pastoritiæ simplicitatis formam omnem expressit perdiligenter: id tamen tentatum satis feliciter à Virgilio, de quo idem ferme dici potest, *Libro 10. cap. 1.* quod scribit Fabius de Stesichoro, *qui bella, & duces, onus epici carminis, lyra sustinuit.* Cecinit enim ad fistulam pastoralem Virgilius res satis magnas, sed accommodatas ad ingenium pastoris: cui si quid non consentaneum sit, illud respuit omne pastorale carmen: non enim par esse per sese potest grauioribus rebus tractandis.

Quapropter leniore quodam spiritu loquatur

poëta pastoralis: ne si vocem tollat, & diducat os, idem illi contingat, quod contigisse aiunt cuidam Italo pastori: qui cùm oris esset paulo vastioris, spiritúsque permagni, solebat toties rumpere calamos, quoties canebat ad fistulam: quibus oris vastitate, spiritúsque vehementiâ, plus animæ, quàm recipere possent, inspirabat. Quod vitium magnum est in poëta pastorali. Si enim maiorem vel sonum vocis, vel spiritus contentionem adhibeat eclogæ: erit absurdus, qui contrà quàm deceat, clamet. Quod tamen; præceptum magis est monitoris non imperiti, quàm magistri valde excellentis. nam eam ob rem Cynthius peruellebat aurem Virgilio, ne carmine pastorali grandia diceret. Si quid tamen magnum sit, quod ausit ecloga: breuissimas interdum adhibere poterit inuocationes, quibus, vt facere solent epici, modestè opem imploret: vt factum à Virgilio in Pollione, qui spiritus est paulo excelsioris. *Inuocationes interdum hoc in carmine adhibendæ.*

Sicelides Musæ paulo maiora canamus.

Sic inuocat Arethusam, cùm agit de Cornelio Gallo Ægypti Proconsule, & eius amoribus, qui pastoritiam materiam superant.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.

Arethusam cur inuocet, non est difficile dicere: erat enim illa, nympha Siciliæ, per quam sperabat eclogæ ingenium natum in Sicilia, posse

ſibi inſpirari. Sic in ecloga ſeptima Nymphas Lebetrides, Pierides in octaua inuocat, quòd res ferebat. Ita factum videmus à Theocrito:

Idyll. 22.

εἴπε θεά, σὺ γὰρ οἶσθα.

Vnde liquet inuocationes in hoc carmine locum habere poſſe, quantumuis magna admodum non moliatur. Quamlibet autem materiam tractet, illam ſemper accommodare meminerit ad conditionem paſtoris.

2. præceptio circa formam.

De forma ſiue imitationis ratione, quod traditum eſt, non repeto, hanc per ſeſe eſſe mixtam: eſt enim ἀμοιβαῖον hoc carmen, μονοπρόσωπον, & mixtum ex vtroque, magis tamen ἀμοιβαῖον, vt patet ex illo Theocriti,

Idyllio 7.

Βουκολιασδώμεσθα τάχ᾽ ὥτερος ἄλλον ὀνασεῖ.

Vbi poëta carmen bucolicum exprimit, per vocem eam, quâ ſignificantur vices ſermonis. Fabulam autem neceſſe eſt eſſe ſimplicem, ne comœdiæ vel tragœdiæ formam induat, ſi grandis implicatáque ſit: Vna autem eſſe debet, quod in omni poëmate requirit imprimis Ariſtoteles in poëtica; & ipſe Horatius ad Piſones:

Denique ſit quoduis ſimplex duntaxat, & vnum.

Omne enim carmen non vnum, imperfectum eſt, quæ vnitas ab actione peti debet: ſi enim vna ſit, & ipſum carmen vnum erit: vt amor Corydonis in ecloga ſecunda Virgilij, expoſtulatio Melibœi de ſua fortuna, apud Tityrum,

Amaryllis, Cyclops, Tyrſis Theocriti, quod fuſiùs explicari ſuo loco poterit.

Tertia præceptio ſit de oratione, cuius forma hoc in carmine non poteſt haberi optima, niſi vel à Theocriti idylliis, vel ab eclogis Virgilij petatur. Simplex ſit imprimis & ingenua, vt illa Theocriti: *Quæ debeat eſſe in eo oratio?*

ἔστε καταρρεῖ — Idyllio 5.

Α᾽ χίμαιρος. χιμάρῳ δὲ καλὸν χρῆς.
θᾶσαι φίλος ὡς καλὸν ὅσδει. — Ibidem.

vel iſta Virgilij, ex ecloga ſeptima:

Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis
Expectare ſat eſt, cuſtos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum, pro tempore, fecimus: at tu
Si fœtura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Quibus nihil ſimplicius, aut magis ingenuum dici poteſt: vt & illud ex Palæmone:

Phyllida amo ante alias, quæ me diſcedere fleuit,
Et longum formosè vale, vale inquit Iola.

Porrò ingenuitas illa in eo poſita eſt, vt & dictio nitida ſit, puro quodam & candido genere dicendi, nullâ tumens verborum inſolentiâ, nullâ tranſlationum audaciâ vehemens, aut incitata, & in ipſa ſententia familiare quiddam ſit, & quaſi obuium, fuco carens: cultus omnis & ornatus facilis, vt agreſtis gaza, nihil quæſitum anxiè, nihil affectatum: quemadmodum obſeruat Hermogenes in Theocritum, iis verbis:

ὁρᾷς ὅσον τὸ ἀφελὲς τῆς γνώμης· καὶ μὴν καὶ τὸ,

Ἁδύ τι τὸ ψιθύρισμα, καὶ ἁ πίτυς, αἰπόλε, τήνα, καὶ τὰ πολλὰ τῶν βουκολικῶν, ἵνα μὴ τὰ πάντα λέγω, τοιαῦτά ἐστι. *Vides quanta sit simplicitas sententiæ. Et etiam illud, Dulce murmur & pinus ista, ô pastor capraríe: & pleraque è bucolicis, ne dicam omnia, sunt huiusmodi.* Nam simplex illa tum sententiæ, tum dictionis ingenuitas, est quasi certa & naturalis nota bucolicorum. In quo regnant Theocritus, & Virgilius: cæteri iacent planè frigidi, ac miserabiles. Rerum enim quas tractant, vilitate illico concidunt isti: sustinet se quodam semper verborum delectu Virgilius, & dicit tenuia, vt plurimùm, quod est proprium huius carminis, sed nunquam tenuiter: vt patet in his, ex Alexi.

Addam cerea pruna, & honos erit huic quoque pomo.
Et vos, ô lauri, carpam, & te, proxima myrte:
Sic positæ, quoniam suaues miscetis odores.

Nam humilitatis rerum, vilitatísque vitandæ gratiâ, verborum lux quædam adhibenda: non ea tamen tam splendida, & illustris, sed quæ casti imprimis, puríque sermonis formam, rationémque sequatur, quæ primis rudimentis, doctrináque puerili tradi solet: at crebrâ stili exercitatione, lectionéque probatissimorum scriptorum perpolienda. Solet enim aspernabilis fieri leuitate materiæ, ni pura niténsque sit.

Quapropter ne ſe externis oblinat moribus paſtoritius poëta : ſi enim aliquâ peregrinitatis conſuetudine ſalubritatem illam , quam requirit carmen bucolicum , & quaſi ſanitatem ſermonis ſemel infecerit : parum idoneus videbitur , qui ſe exerceat in bucolicis. Pompæ tamen, & ſplendori parcat : nam propria eſt tràgicorum , & epicorum dicendi magnificentia. At verba rus ſapiant interdum, ſed non illud, cuius pleni erant annales Voluſij. *Dictio pura ſit.*

Pleni ruris, & inficetiarum. Epigr. 37.

de quibus tam ſalsè Catullus , vt nihil ſalſius. Etſi enim ſententia ruſticana eſſe debeat , quæ productos è caula paſtores decere poſſit : nulla tamen vox agreſtis , aut ruſtica ſit. Vt patet in Corydone, cùm mentionem facit de capreolis. *Simplex & ruſtica.*

Bina die ſiccant ouis vbera , quos tibi ſeruo.
Iam pridem à me illos abducere Theſtylis orat.
Et faciet.

Nam quid ruſticius quàm deſtinare illos Alexi, quo tempore Theſtylim blanditiarum ſuarum importunitate credit impetraturam ? At nihil in vocibus agreſte, aut ruſticum. In ſumma, laudem habeat eam carmen bucolicum, quam Tullius dabat Craſſo, de cuius oratione ſolebat dicere : *nihil eſſe tam ſine pigmentis , fucóque puerili.* Ita ſit ſine ornatu paſtoralis oratio , ſine phaleris, Lib. 2. de Orat.

omníque adeò eâ artis ſupellectile, quæ fucum facit. Sed appareat in ea cuiuſdam ingenuæ ſimplicitatis candida, & amabilis venuſtas, nuda ab omni nimio apparatu: Quæ tamen languebit; ni feſtinet, aut ſi in vlla parte cunctetur, vel hæreat; quapropter preſſa ſit, breuis, & interpuncta. Vt illud ex Palæmone Virgilij:

Preſſa ſit & breuis.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina, Mæui.

Ex eodem:

——non bene ripæ
Creditur, ipſe aries etiam nunc vellera ſiccat.

Ex Corydone:

Hæc eadem vt ſciret, quid non faciebat Amyntas.

Sic apud Theocritum multa ſunt huius ſpiritus: vt videre eſt, tum cæteris paſſim in idylliis paſtoralibus, tum præcipuè in quinto. Sic Battus idyllio quarto, de ſua Amaryllide triſti fato ſibi erepta.

Οσσον αἶγες ἐμὶν φίλαι, ὅσσον ἀπέσβας.

Et illud ex tertio quàm tenerum,

Καί κε μ' ἴσως ποτίδῃ: ἐπεὶ οὐκ' ἀδαμαντίνα ἐντί.

Quâ concisâ preſſâque oratione, præcipua laus iſtius carminis continetur: in eo enim nihil eſt, quantum iudico, quod plus delectet, quàm interiectæ illæ frequentibus morulis, ſuſpenſæque reſpirationes: in quibus tamen, ne ipſa oratio lenta ſit, & ſine animo, atque vt loquitur Ariſtophanes ψυχὴ ἄψυχος, ſenſus crebros frequentéſque habeat

Affectus habeat.

habeat affectus: vt illud comastæ ad Amaryllidem, ἀπάγξασθαί με ποιησεῖς. Idyll. 3.

Et illi affectus desperati Daphnidis, quem canit Tyrsis in idyllio primo.

Ω λύκοι, ὦ θῶες, ὦ ἀν' ὤρεα φωλάδες ἄρκτοι
Χαίρεθ'· ὁ βωκόλος ὔμμιν ἐγὼ Δάφνις οὐκέτ' ἀν' ὕλαν,
Οὐκέτ' ἀνὰ δρυμώς, &c.

quàm simul & teneri sunt, & vehementes. Plerique istiusmodi sunt apud Virgilium, sic desperationis amatoriæ sint etiam nonnulli: vt is Alphesibœi, eclog. 8.

—*Nec sit mihi cura mederi.*

Et ille Damonis,

—*Extrema moriens tamen alloquor hora.*

Sic Corydon,

—*Nec quid speraret, habebat.*

Nam licèt non admittat hoc carmen affectus valde violentos, quales solent esse ij, qui summæ perturbationis sunt, vt in desperatis: tamen quia desperationes in amore non ita sunt horribiles, & odiosæ, plúsque miserandi cuiusdam doloris habent, & amabilis insaniæ, quàm nefarij furoris: eas non modò non respuit ecloga, sed amat etiam, & requirit. Quapropter misellus interdum potest induci pastor, qui Lunæ, aliquam partem noctis, vel rupibus narret suas in amore miserias, & apud siluas, & fontes conqueri tristes iras, & fastidia dura superbæ

T

Phyllidis, aut Amaryllidis amet vel canere ad fores, quod Plutarchus in erotico numerat inter amatoria; aut alias istiusmodi nugari nugas, amantibus familiares. At modum non excedant affectus ij, vt contigit furioso illi Galateæ amatori Polyphemo, qui non rosis, non pomis, non floribus, sed perniciosis furiis amabat. Sic enim Theocritus diuinè, vt omnia,

Idyll. 11.

Ηρατο δ' οὔτι ῥόδοις, οὐ μάλοις, οὐδὲ σελίνοις;
Ἀλλ' ὀλοαῖς μανίαις.

Omnes enim violentæ perturbationes bucolico carmini, quod est molle, ac tenerum, diligenter fugiendæ: ne, quod aiunt, excitentur tempestates in simpulo: *in paruis enim litibus*, quales sunt pastoritiæ, *tragœdias mouere, tale est, quale si personam Herculis, & cothurnos aptare velis infantibus*. Quod prudenter obseruatum à Fabio. Vt enim spiritus tenuis est ecloga, videtur non posse recipere motus eos, qui pertinent ad theatrum, & ad declamationem; sed lenes quasdam commotiunculas, eósque duntaxat affectus, qui molles sunt, ac teneri, vt in Gallo Virgilij:

Lib. 6. c. 2.

Alpinas ah! dura niues, & frigora Rheni
Me sine sola vides. Ah! ne te frigora lædant.
Ah! tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.

Quibus adhibeat interdum breuiusculas rerum inanimatarum interrogationes: iis enim oratio

mirum in modum animatur: vt in Daphnide,

Vos coryli testes, & flumina nymphis.

Ipsis fontibus & arbustis sensum inducat: vt in Tityro,

—ipsæ te Tityre pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

His enim affectus exprimitur: vt est & illud Tyrsidis in Melibœo Virgilij,

Phyllidis aduentu nostræ nemus omne virebit.

Qui molles affectus crebri sunt apud Theocritum & Virgilium: iis enim carminis pastoritij præcipua suauitas continetur: vt nobis auctor ex vetustis Theocriti interpretibus vnus, qui in eum idyllij 8. locum,

Ἄγκεα καὶ ποταμοὶ θεῖον γένος.

sic habet: γλυκύτης δὲ σχῆμα, ὅτι τοῖς ἀψύχοις, ὡς ἐμψύχοις προσδιαλέγεται. *Suauis hæc orationis forma, in qua cum rebus inanimis, vt cum animatis, oratio habetur.* Sed ita tamen adhibeantur, & tam parcè: vt nihil vehemens, audáxque sit: liquet enim vi, & audaciâ interire suauitatem, quæ præcipua laus esse debet carminis bucolici, in quo dominari debet iuge studium persequendæ lenitatis. Est enim hoc carmen, illi suauissimo poëtæ non absimile, qui dicebat omnia suauiter: de quo sic Tullius in eo poëmate, quod scripsit ad Libonem:

Quidquid come loquens, & omnia dulcia dicens.

Hanc enim laudem Terentio tribuebat. In affe-

ctuum autem tractatione teneatur ea imprimis Longini rhetoris περὶ ὕψους præceptio, ne vsurpentur affectus, cùm res non postulat; cùm postulat autem, parcè ac moderatè vsurpentur. ἔστι δὲ πάθος ἄκαιρον, καὶ κενὸν, ἔνθα μὴ δεῖ πάθους· ἢ ἄμετρον, ἔνθα μετρίου δεῖ. *Intempestiua est, & inanis, vbi nihil est opus affectibus, affectuum vsurpatio: vel cùm sine modo adhibentur, vbi modus requiritur.*

At vt sermo conueniat carmini nostro, ne grauis, sonans, elatúsque sit; sed facilis, & nitidus instar aquæ profluentis: ne fundatur latè, vel nimis anxiâ verborum constructione, vel circumlocutionibus valde impeditis: si qui sint in eo ambitus orationis, sine magna circumductione cadant leniter, non enim huius oris est ecloga, quæ continenti spiritu multa, sine respiratione, dicere queat.

Quis debeat esse numerus carminis pastoritij.

De numero autem huius carminis sic statuo: de eo non tam sollicitè, superstitioséque laborandum, atque existimat Terentianus: qui dactylum in quarto pede semper collocari debere vult, saltem vtplurimùm. Quod quidem factum videmus à Theocrito, sed à Virgilio neglectum, vel quia res non ita ferebat, vel, vt existimat Donatus, quòd victus sit obseruationis huius difficultate. Abrogata tanto auctore lex illa vim retinere iam non potest. Deiiciendus tamen in pastorali carmine numerus. Nam

heroïco, nisi sonus frangatur interdum, grandis est, & excelsus. Quare adhibendus numerus is, qui per sese sponte occurrat orationi, & liberiore quâdam fruatur licentiâ, quæ nihil habeat quod duriusculum personans, vel hiulculum sit: nam velle in hac parte nimis esse diligentem, quid aliud est, quàm operosè nugari, & curam perdere? Eò accedit, quòd dactyli in quarto pede crebriores, fastidio similitudinis satietatem afferre possint, quod est fugiendum quammaximè in eo carmine, cuius cura debet esse omnis, vt seruiat oblectationi. Fateor tamen incitatam illam, quæ est apud Theocritum numerorum percussionem auribus, quarum iudicium delicatum est, placere suprà quàm dici potest: quidquid secùs visum sit Virgilio, qui suauissimæ illius, quæ est in numero Theocritico, lenitatis assequendæ desperatione victus, eum, qui per sese sponte flueret, secutus est. Existimabat enim liberiorem illam licentiam magis accommodatam huic carmini, in quo potissimùm debet regnare simplicitas; vel, quod magis suspicor, Latinum sermonem tam difficiles duràsque leges, & angustias, tam religiosè obseruatas à Theocrito, commodè recipere non posse. Porrò vnum carmen heroïcum conuenire poëticæ pastorali satis declarat tum Virgilij, tum Theocriti exemplum. Quamquam Theo-

critum quosdam in idyllio octauo pentametros aspersisse planum est, sed quamobrem id fecerit, obscurum. Certè cùm semel ab eo, ídque parcè admodum factum sit, nec à Virgilio tentatum, argumento est, commodè id fieri non posse.

Rhetorica huius carminis.

Quod spectat ad rhetoricam: narrationes interdum habeat simplices, & non bene longas; quales requirere solebat in poëtis Socrates, apud Platonem. Eos enim potissimùm probat poëtas, qui vtuntur narratione simplici, & eam commendat præ cæteris, quæ breuis est, & rei naturam commodè exprimit. Sunt qui existiment naturam huius carminis, narrationes, si præsertim valde bene longæ sint, pati non posse, nullásque esse apud Virgilium: quod non satis attendunt; sunt enim aliquæ, vt ista in Sileno;

An ferat narrationes?

Chromis, & Mnasylus in antro
Silenum pueri somno videre iacentem,
Inflatum hesterno venas, vt semper, Iaccho.
Serta procul, &c.

Verùm quia narrationes tam raræ sunt apud Theocritum, & Virgilium, eas quamparcissimè existimo adhibendas: si tamen res ferat non incommodè, adhiberi posse puto, quales requirit Socrates.

Ipsa autem oratio respondebit magis pastorum indoli, si declinationes interdum habeat,

digreſſionéſque à propoſito breuiuſculas: qualis eſt illa de Paſiphae, in Sileno: quamquam pæne modum excedit; ſed indulgendum aliquid Virgilio, qui tam rarò ſibi indulget.

De deſcriptionibus non eſt ita in promptu, quid dicam; namque in eo non bene conuenit inter duces noſtros Theocritum, & Virgilium: Ille enim idyllio primo deſcribit poculum tam fusè & intemperanter, vt in eo notetur à criticis. Nullam autem iſtiuſmodi deſcriptionem reperias apud Virgilium; quàm parcè enim deſcribit vas fagineum Melibœi, opus diuini Alcimedontis. *An deſcriptiones admittat?*

Lenta quibus torno facili ſuperaddita vitis
Diffuſos hedera veſtit pallente corymbos, &c.

Rem conficit quinque verſibus, Theocritus triginta quatuor, quod eſt parum temperantis, & nimis otioſi. Plus placet in ea parte prudens ille Virgilij modus: res enim deſcribere tam accuratè, meo quidem iudicio, non tam bene conuenit paſtori, qui *polire vngues & capillum reponere*, quod dictum de eloquentia à Fabio, quódque exquiſitioris, curioſioríſque diligentiæ eſt, ad ſe pertinere non exiſtimabit. Quàmquam hoc etiam factum à Ronſardo, emendati imprimis iudicij viro, vt ferebat linguæ tunc inopis vſus, mirificè, eclogâ quintâ, in qua poculum ad imitationem Theocriti copioſè deſcribit.

Quod & à Marino factum in idylliis, qui modum tenet nullum in deſcribendo: parum prudenter. Fingant ſe in eo potiùs ad temperatam illam Virgilij abſtinentiam, & conſideratam moderationem, qui ſe accuratos, & prudentes haberi volunt. Nam quod obiici poteſt de Moſchi Europa, in qua calathi deſcriptio habetur tam ampla, non habet hîc locum: cùm hoc idyllium non paſtorale ſit. Fateor tamen deſcriptiones interdum rerum non magnarum, nec ita accuratè factas, in paſtoralibus colloquiis poſſe non indecorè locum habere, ſi parcè vſurpentur.

Comparationes frequenter adhibendæ.

At ſi deſcriptionibus parcendum eſt, parci non debet comparationibus, quæ ſi frequentiſſimæ, creberrimæque adhibeantur, gratiam orationi paſtoritiæ afferent non mediocrem, maximè ſi de proximo, hoc eſt de rebus ruſticis petantur. Frequentes ſunt apud Theocritum, ſed ita propriæ ruris, vt eas nemo niſi ruſticus audeat vſurpare, etiam in ſermone familiari: ſic eius Menalcas in idyllio octauo:

Δένδρεσι μὲν χειμὼν φοβερὸν κακὸν, ὕδασι δ' αὐχμὸς,
Ὄρνισιν δ' ὕσπλαγξ, ἀγροτέροις δὲ λίνα.
Ἀνδρὶ δὲ παρθενικᾶς ἁπαλᾶς πόθος.

Et Virgilij Damœtas in Palæmone:

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti, nobis Amaryllidis iræ.

Et illa ex ecloga 8.

Limus

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit
Vno eodémque igni: sic nostro Daphnis amore.

Quibus apud illum nihil frequentius; eáque maximè conueniunt ingenio pastorali: quemadmodum crebræ verborum repetitiones, geminationésque quarumdam vocum: quæ si collocentur interdum aptè, leporem habent, suprà quàm dici potest mirificum, & quandam in numeris, modísque suauitatem. Nam quid suauius istâ articuli tam aptè vsurpatâ repetitione, apud viatores Theocriti?

Αἶγες ἐμαί, τῆνον τὸν ποιμένα, τὸν συβαρίταν,
Φεύγετε τὸν Λάκωνα.

At longè etiam multò suauior, ista ex idyllio secundo,

Ηνίδε σιγᾷ μὲν πόντος, σιγῶντι δ' ἀῆται·
Α δ' ἐμὰ οὐ σιγᾷ στέρνων ἔντοσθεν ἀνία.

Quo loco, haud scio, an blandius quidquam, magísque delicatum excogitari possit. Sic suæ sunt apud Virgilium amabilium quarumdam vocum repetitiones, quibus nihil amœnius, vt ista ex Melibœo,

Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, &c.

Quod pertinet ad mores, id vnum, pro omnibus præceptum sit: vt quales beatorum insulæ, vel aurea tempora ferebant, pastores describantur, simplices, ingenui, candidi, iustitiæ aman- *Qui mores?*

tes. Nam, vt habet poëta,

Virg. Georg. lib. 2.

—— extrema per illos
Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Communitatis autem, & beneficentiæ studiosi, & cuiusdam innocentis indolis bonitate, & consuetudine benignitatis amabiles. Nam vt obseruatum ab Aristotele 3. Rhetor. cap. 2. poëtica versatur circa personas excellentiores. Ab iis autem nulla fraus, nullúmque facinus aberit, si pastoris illius similes fuerint, quem inducit Plato, qui annuli cuiusdam admirabilis vsus opportunitate, reginam corrupit primùm; tum eâ adiutrice regem dominum interemit, mox rerum in Lydia potitus cùm per annulum videret omnia, & à nullo videretur, omnium flagitiorum licentiâ & impunitate, sceleratissimus mortalium effectus est. Remouenda omnis à pastore turpitudo: nihil enim est tam contra naturam, quæ priscis temporibus erat innocens. Quod si tenuerit religiosè poëta bucolicus; tenere autem debebit; nihil libidinosè, vel intemperanter dicet, nullam mouebit rei cuiusuis inuerecundæ suspicionem, res amatorias si attingat, faciet verecundè. In quo dignus reprehensione Theocritus, qui pastores inducit vt plurimùm parum liberales & honestos: ea enim dicunt interdum, quæ si apud honestos & liberales viros pronunciare velis, honos præfandus

ſit. Quod alienum à moribus priſcæ ætatis, ad cuius normam paſtores, non qui ſunt, ſed qui debent eſſe, deſcribantur. In quo non peccatum à Virgilio, ſeu quòd ſermo Latinus, neſcio quo modo, grauis verecundúſque ſit magis, quàm Græcus, ſeu quòd ipſe Virgilius paſtoritiæ vitæ decorum plus viderit, quàm Theocritus, qui ſæculo cecinit adhuc valde rudi, & ad honeſtatem nondum ſatis erudito: vix enim abſtinet ab obſcœnitate verborum, quæ non modò non digna ſint luce & frequentia, ſed vel conuiuiis liberorum: id autem non patitur pudor vitæ innocentis, & candidæ, quæ paſtorum propria eſt. In quo poëtæ ij, qui molles illas amorum illecebras, quæ deliciæ vocantur, in paſtoralem conditionem, & vitam inducunt, mihi videntur, ne quid grauius dicam, parum conſiderati. Omnis enim corruptela, atque proteruitas, & ſi quid eſt iſtiuſmodi quod pertineat ad impudentiam, tam abhorret ab aureæ ætatis innocentia, & ſimplicitate, quæ fuit ætas paſtorum; quàm ab heroicis temporibus abhorret ignauia, atque turpitudo. Poſſet eſſe locus hic dicendi in obſcœnos poëtas, æmulos Timanthis, qui *pingebat tabellis libidines, eo genere petulantis ioci ſe reficiens*, vt habet Plinius: belli certè vates, qui meretricibus Muſis, de quibus Boëtius, non virginibus ſacrificarunt. Tollendi illi è re- Lib. 35. cap. 10.

publica tanquam perniciosæ pestes: vias enim adolescentiæ lubricas ostendunt, quibus insistere, aut ingredi sine aliqua prolapsione vix possit. Pestiferi enimuero homines, quorum vita propemodum omnis corrupta, & inquinata voluptatibus, in eo versatur, vt optimorum adolescentum pudori illudat; de quorum proteruitate, impudentia, atque importunitate immensa esset oratio, nisi me propositæ rei tractatio ad institutum reuocaret.

Vnum etiam est, in quo lapsus quoque videtur, meo iudicio, Theocritus, qui suis pastoribus tribuat interdum quandam verborum inclementiam, & acerbitatem, quâ nihil pæne dici potest amarius. Comatas, & Lacon, idyllio quinto, tantùm non ad manus veniunt, altercationum rixarúmque inflammatione: quod vitæ pastoralis simplicitas ferre non potest. Certè de pastoribus aliter sentiendum, ac de Lupercis, qui feras & agrestes siluestrium hominum sodalitates instituebant in agris, quibus, in omni libidinum ac flagitiorum genere, & vitæ infamia nihil perditius dici poterat. Quapropter in carmine pastorali, cuius forma peti debet ab aureæ ætatis innocentia, ab omni rerum verborúmque probro, atque turpitudine diligenter abstinendum: & illorum temporum castissimi mores, quantùm fieri potest, opti-

mis honestissimæ disciplinæ artibus imbuendi.

Quod si teneatur, seruabitur decorum in vita pastorali, cuius ignoratione grauiter peccabitur. Absit autem quidquid aut nefarium est, aut violentum: cùm carmen bucolicum de rebus pacatis esse debeat, miniméque turbulentis. Facit tamen hoc loco mihi negotium vtraque Pharmaceutria Theocriti, & Virgilij, in quibus veneficia, carmina, & artes omnino malæ adhibentur ad amorem, vt fit à perditis, & desperatis, conciliandum: quod non bene conuenit cum pastoritia simplicitate. Certè Theocriti Pharmaceutria non agitur inter pastores, nam Delphis ille Myndius palæstram frequentabat, & Simætha maleficij artifex, vt fatetur interpres, erat mulier vrbana, non rustica. Plus habet difficultatis Pharmaceutria Virgilij, quæ inter pastores geritur: sed deficit à decoro pastoritiæ probitatis, cuius indoles abhorrere videtur ab omnis maleficij opinione. Quamquam etiam in hac parte Virgilius excusatur ab Apuleio, in Apologia prima, sic enim ille in hunc locum: *alia quæri ad magiam solere. Ille enim quantùm scio, enumerat vittas molles, verbenas pingues, & thura mascula, & licia decolora.* Perinde quasi velit carmen illud vel non esse veneficij, vel si sit, non esse nisi valde innocentis, quod perpendant existimationibus, iudiciísque suis critici sagaciores.

Sententias non recipit ecloga, maximè si graues sint.

Sententiæ verò, præsertim si graues sint, & argutæ, quòd hominum non acutorum sensus præteruolent, sedulò vitandæ: quod non satis obseruatum à Theocrito, qui non modò vulgaria dicta, quæ apud populum in prouerbij consuetudinem venerant, & sumptas de communi vita sententiolas, sed eas etiam, quas κυρίας δόξας vocant, hoc est graues, & exquisitioris sensi plenas, crebrò vsurpauit, vt in idyl. 4.

Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.

Dictum grauiter magis & magnificè, quàm ferebat conditio bubulci, qui conducebat operam pro pascendis alienis bobus, qui post dictum illud tam sententiosè, sermonem habet cum Cymætha pecude suâ, inter pecudes tantùm non pecus. O grauem hominem dignúmque, qui pronunciet sententias! Longè considератior in ea parte Virgilius, qui semel in omni opere bucolico sententiosè locutus: neque illud quidem impunè: nam reprehensus à Seruio, qui in hanc sententiam eclogæ secundæ,

Trahit sua quemque voluptas,

notat poëtam, quòd eam dederit rustico, supra bucolici carminis conditionem. Tamen existimo prouerbia hoc carmen pati posse: si quidem ex Aristotele, nulli homines sunt, in quorum ore prouerbia frequentiora sint, quàm rustici! si

decorum, cuius ſemper habenda ratio, teneatur.

Ad orationis contextum vt ſententiæ pertinent, ita & figuræ, per quas accedit orationi, id quod habet animorum: de quibus idem præcipi debet, ac de affectibus. Reſpuit enim bucolicum carmen illud omne, quod eſt vehemens in dicendo; neque enim ferre poteſt τὸ βάρος, καὶ τὴν σεμνολογίαν, quod vtrumque ad pompam pertinet, & proprium eſt declamatorum. Abhorret enim ab ingenio paſtoris, id omne quod eſt declamatorium. Nam monet Seruius in eclogas, *perſonas in bucolicis ruſticas eſſe, & ſimplicitate gaudentes, à quibus nihil altum debeat requiri: vnde nihil in his vrbanum, nihil declamatorium inueniatur; ſed è re ruſtica ſint omnia.* Quapropter figuræ illæ omnes, quibus ſplendor nimius orationi conciliatur, magnificúſque ille verborum ſtrepitus, quod theatro, vel declamationi conueniat, reiiciendus: vt reſtet purum illud τὸ ἀφελὲς, ſine quo carminis bucolici venuſtas, & vt ita dicam, decentia exiſtere minimè poteſt. Lenes autem figuræ, vt in affectibus, commiſerationes, timores, amores, æmulationes, dulces rixæ, in quibus nihil alienum ab indole paſtoris, commodè vſurpari poterunt: quæ omnia docere velle eſſet infinitum. Satis erit poëtæ paſtorali ſumma rerum percipere

Figuræ.

genera, vt reliqua per ſeſe non incommodè perſequatur.

Cætera quæ ſunt leporis, humanitatis, & gratiarum, in quibus omnibus domina eſt natura, quamuis nec artem vllam deſiderent, nec præceptionem: tamen admonendi ſunt ij, qui hanc operam nauant, nulli vt parcant, quoad licuerit, amœnitati, quæ eſt pæne iugis apud Theocritum, & perpetua. Certè poëtarum omnium totius antiquitatis, in quo plus ſit venuſtatis, & deliciarum, video neminem: is enim eſt, apud quem omnia pleniſſima ſint gratiarum: in idyllio 5. Lacon.

Ψυχρὸν ὕδωρ τήνει καταλείβεται, ὧδε πεφύκει
Ποία, χ' ἁ στιβὰς ἇδε, καὶ ἀκρίδες ὧδε λαλεῦντι.

Et hoc Comatæ:

τουτῷ δρύες, ὧδε κύπειρος,
Ωδε καλὸν βομβεῦντι ποτὶ σμάνεσσι μέλισσαι,
Ενθ' ὕδατος ψυχρῶ κρᾶναι δύο.

Quæ amœnitas tum ex ſuauitate vocum, tum ex ſententiæ ipſius venuſtate, tum lenitate numerorum exiſtit. Hanc autem cùm in Theocrito paſſim, tum in Virgilio, eſt enim vterque leporum pater, admiramur: in recentioribus verò, ſaltem pleriſque, quæſitam è floribus, & pigmentis puerilium deliciarum conflatam vix ferimus: Quidam enim ſunt, maximè iis perditæ latinitatis temporibus, quibus nihil tam viget,

viget, quàm ſtudium vitandæ ſimplicitatis, in tractandis gratiis tam parum felices, vt nunquam minùs venuſti ſint, quàm cùm maximè videri volunt; iſti non abſimiles, de quo Longinus cùm mentionem facit de Demoſthene. ὅταν δ' ἐγγίζειν θέλῃ τοῦ ἐπίχαρις εἶναι, τότε πλέον ἀφίσταται: *cùm maximè ad venuſtatem accedere vult, tunc magis ab ea recedit.* Eſt enim quædam concinnitatis & gratiarum cura, quâ nihil ieiunius dici poteſt: nimiâ enim ſedulitate & diligentiâ deſinit in frigidam orationem, vt præclarè docet Longinus: ὑπὸ περιεργίας λήγοντα εἰς ψυχρότητα. Itaque, quod iam pluribus & præceptum eſt, & præcipi ſatis non poteſt, ſi adhibebuntur ornamenta, vt adhiberi debent, ne nimis curioſè exquiſita ſint: vt non peccetur diligenti ſedulitate, vbi quæritur neglecta ſimplicitas. Memorabile enim teneri debet, in iis præſertim quæ ad artem pertinent, Apellis præceptum, de quo Plinius, *nocere ſæpe nimiam diligentiam.* Nam caput artis eſt, diſſimulare artem: idem viſum Fabio qui *nimiâ ſubtilitatis affectatione artes concidere*, prudenter monet. Quod cùm in aliis poëticæ partibus, tum maximè in paſtorali locum habet, quam decet imprimis nitor, & ſimplicitas.

Lib. περὶ ὕψους Sect. 30.

Sect. 2.

Lib. 1. c. 10. nat. hiſt.

Lib. 1. procem.

At facili illa, & nuda ſimplicitate nihil, meo quidem iudicio, elegantius: quidquid ſecùs fortaſſe

videatur sæculi deterioris hominibus, qui fuco & pigmentis magis delectantur : ludus est tamen homini communium litterarum, & politioris humanitatis non imperito.

Iudicium de iis qui bucolico carmine scripserunt.

Verùm de nulla arte meliùs præcipi potest, quàm si proponantur eorum exempla, quorum imitatione laus artis, commendatióque quodammodo contineatur. Atque vt initium faciamus à Græcis, à quibus omnis artium bonarum perfectio primùm profecta est. Præcipuos in carmine pastorali poëtas habent Theocritum, Moschum, Bionem, quos tres Græcorum charites iure dixerim longè potiori, quàm Anacreontem, Philetam, & Callimachum, quos olim hoc maximè nomine apud suos fama celebrauit. De singulis quale iudicium fieri debeat, exponam breuiter, postquam verbum fecero de Salomone, quem pastoralium scriptorum, qui extent, statuo antiquissimum. Is enim in eo pastorali opere, quod inscripsit *canticum canticorum*, omnem vim, gratiam, indolem, & argumenta bucolici carminis complexus est: nullæ apud eum personæ, nisi pastorales, nullæ similitudines, nulla propemodum exempla, nisi petita è rebus rusticis; nihil tam tenerum, quàm eius comprehensio verborum; nihil tam molle, ac delicatum, quàm totius orationis contextus. Ita enim fluens est, vt nunquam adhærescat. Ita

SALOMON primus scripsit pastoralia.

pura, simplex, & elegans eius dictio, vt ad amœnitatem nihil desideret. Tametsi soluta planè videatur, & ab illigatione numerorum sit omnino libera: tamen quòd feratur paulò incitatiùs, & frequentissimis vtatur verborum luminibus, quodammodo poëtici spiritus aliquid præ se ferre videtur: Et quemadmodum dictus Ezechiel à Clemente Alexandrino, libro primo stromat. ὁ τῶν Ἰουδαϊκῶν τραγῳδιῶν ποιητής: ita Salomonem contendo pastoralem poëtam appellari meritò posse. Cùm præsertim numerorum obseruet quandam quasi quantitatem, quâ, vel certè non absimili asseruit se in poëtam Pindarus, qui cùm per audaces dithyrambos verba libraret, vt innuit Horatius, poëta videbatur: quamuis eius esset oratio ab omni numerorum lege libera. Sic Platonis locutio licèt à versu discrepet, tamen quòd quendam habeat splendorem verborum, vehemensque sit, & incitata, visa est nonnullis, indolis poëticæ habere nescio quid.

Primum autem inter Græcos hoc carminis genere scripsisse Stesichorum tradit Ælianus, libro decimo variæ historiæ: de quo, cùm eius scripta non extent, difficile est ferre iudicium. Porro quòd primus omnium Daphnidis amores, ad Himeram Siciliæ fluuium cecinerit, Himeræus est appellatus. Sic enim de illo Ælianus,

Iudicium de Græcis.

STESICHORVS.

Lib. 10. c. 28. Στησίχορον τὸν Ἱμεραῖον τῆς τοιαύτης μελοποιΐας ἀπάρξασθαι, *Stesichorum Himeræum talis compositionis inuentorem*, cùm sermo esset de carmine bucolico, cuius primum argumentum fuit de Daphnidis amoribus, siue de rebus ad Himeram gestis, siue ὕμνος, ἐφ' Ἱμέραν, *hymnus ad fluuium Himeram*. Vnde Theocritus cùm esset mentio de Daphnidis interitu:

Idyll. 7.

δρύες αὐτὸν ἐθρήνευν,
Ἱμέρα αἴτε φύοντι παρ' ὄχθαισιν ποταμοῖο.

Et in Tyrsido siue idyllio 1. cùm caprarius Tyrsidem rogaret carmen bucolicum, carmen ad Himeram celebratum vocat.

Τὸν ἐφ' Ἱμέρα ὕμνον ἀείσης.

Quale porrò fuerit hoc carmen, cùm perierit, planè incertum: hoc certum, illud in bucolicorum genere esse antiquissimum: ex quo factum, vt cæteri deinde poëtæ bucolici Daphnidem illum suis deinceps pro se quique carminibus, celebrarint, Theocritus imprimis, tum Virgilius, imitati Stesichorum; de quo magnum apud reliquos scriptores silentium; quæ causa fuit, cur in omni deinceps consequenti ætate, aliquâ apud eruditos obscuritate laborarit: quod tamen est accipiendum de iis, quæ pertinent ad bucolica: nam Dionysius Halicarnassæus libro criticorum facit de illo mentionem, eiúsque, τῆς κατὰ τὰς ὑποθέσεις μεγαλοπρεπείας: quem Fa-

bius vocat, *maxima bella, & clarissimos canentem duces, & epici carminis onera lyra sustinentem.* Lib.10.c.1.

Quapropter apud Græcos bucolicorum princeps omnium consensu, licèt ætate posterior, fuit Theocritus Syracusius, qui floruit Olympiade CXXIV. sub Hierone iuniore Syracusarum tyranno, & Ptolomæo Philadelpho Ægypti rege: quemadmodum disputat in lectionibus Theocriticis contra Munatum Casaubonus: scriptoris enim illius gratias ac veneres nemo satis intelligit, nisi ipse sit intelligentissimus, adeò delicatè, & molliter venustus est, orísque ita blandi: qui sibi non bene esse, nisi cum Gratiis continenter sit, in suo Hierone profitetur; THEOCRITVS.

ἀεὶ χαρίτεσσιν ἅμ' εἴην.

Quod mirum in modum est consecutus: erat enim in eo quædam quasi infinita vis dicendi blanditias, & amœnitates; & vt habet Longinus Rhetor de Hyperide, ἄφατοι περὶ αὐτὸν εὐτραπελισμοί, *innumeræ apud illum vrbanitates, & gratiæ.* Nihil enim scribebat, quod omnem gratiarum amœnitatem, suauitatémque non spiraret. De quo potest meritò dici, quod ab Imperatore Iuliano, in Antiochensi dictum de Anacreonte: obtinuerat à fatis posse dicere delicias: τρυφᾶν ἔλαχεν ἐκ μοιρῶν. Quod Theocrito sic erat familiare, vt in eodem loco gratias, dicere suas non dubitet, ἡμετέρας χάριτας, quod interpres Græ-

cus vertit, τὰ οἰκεῖα ποιήματα, quasi Gratias haberet domesticas, adiutrices, & famulas, sine quarum ope nihil hominibus amabile esse posse existimabat,

Idyll. 16. τὸ γὰρ χαρίτων ἀγαπητόν
Αἰθερίοις ἀπόδοσθαι.

Ex qua iugi & perpetua cum Gratiis consuetudine factum opinor, vt peruenerit ad summum musæ bucolicæ apicem, vt declarat illi caprarius, idyl. primo,

Καὶ τᾶς βουκολικᾶς ἐπὶ τὸ πλέον ἵκεο μοίσας.

Nam bucolicæ musæ ingenium ex Gratiarum amœnitate, illóque sale omni, à quo Venus nata est; coaluisse videtur. Dignior eamobrem à cuius scriptis manus abstinuissent Laurentius Gambara, vir non peracutus, Eobanus Hessus, cæteríque alij simplicitatis & elegantiæ, quæ est in Theocrito violatores, non malitiosi illi quidem, sed odiosi tamen: à quibus, admirabilis poëta noster dignus videbatur, qui pacem impetraret. Est enim in eo lepos quidam, & venustas, quam assequi Latinitas, omnésque Romanæ Gratiæ minimè possint: si tamen in ea parte dignus est aliqua fide Gellius, qui libro nono cap. nono noctium Atticarum fatetur se expertum, sic enim ille: *Nuperrimè apud mensam cùm legerentur vtraque simul bucolica Theocriti, & Virgilij, animaduertimus reliquisse Virgilium, quod Græ-*

cum quidem mirè quàm ſuaue eſt, verti autem neque debuit, neque potuit. Certè Theocritus mihi videtur in eo ſuperaſſe Virgilium, quòd Doricæ linguæ opportunitate vſus, quâ caruit iſte, ad paſtorum ingenium ſcripſit multò magis accommodatè. Nam vt monet Demetrius Phaleræus, πλατέα λαλοῦσι πάντα οἱ Δωριεῖς, *diducto latóque ore loquuntur omnia Dores:* illud enim *α* quod vſurpare ſolent, vt vocalius longè, ſonantiúſque eſt, vaſtioris pronunciationis grauitate, ſonitúque vocis agreſtiori, neſcio quid exprimit ad ruſticitatis ſimplicitatem ſic idoneum: vt nihil, quod ingenio paſtorali magis conueniat, excogitari poſſit. Quod locum dedit Longino Rhetori, cur Theocritum ἐν τοῖς βουκολικοῖς ἐπιτυχέστατον, *in bucolicis feliciſſimum* appellaret. Nam quamuis vaſta, grauiſque ſit pronunciatio linguæ Doricæ, vt declarat Hermogenes cùm facit mentionem de Theocriti charactere, ὁ Θεόκριτος ἀξιωματικόν τινα πεποίηκε δωριζούσαις γυναιξὶ, διὰ τὸ πλατύνειν τὴν φωνὴν, τῷ α τὰ πλεῖστα χρωμέναις. *Theocritus graue neſcio quid impoſuit Doribus feminis, vocis productione, cùm vocalem α vtplurimum in ſermonem adhibeant*, vt exprobrat ille idyllio 15. mulieribus Syracuſiis πλατυάσδουσαι ἅπαντα. Tamen Dorica dialectus quandam efficit ipſâ verborum collocatione conſtructionem carminis, conformationémque adeò venuſtam, modos ſonitúſque

Lib. 1. cap. 6. de ideis.

verborum tam lenes, & delicatos, totum orationis contextum tam admirabilem: vt toti veteri Latio desperandum sit, priusquam suauitatem hanc, simplicitatémque assequi queat. Nec audiendus hîc meo iudicio, qui secùs existimat vetus interpres Theocriticus, siue Theon ille sit, siue quisquam alius, cùm hæc habet, οἱ γὰρ Δωριεῖς πλατυστομοῦσι τῷ α πλεονάζοντες, ἐκ κακοστομίας δὲ, ἀντὶ τοῦ διαλέγεσιν. Nam stridor is, quem tribuit Doribus, maximè suauis est, & perargutus, non verò, vt contendit, odiosus, vt est stridor turturum, & grauis. Neque enim Corinthi, quæ vrbs erat Græciæ plenissima vrbanitatis, vsurpatus esset sermo Doricus, neque in omni Peloponneso, si grauis fuisset & odiosus. Eamobrem dictus Fabio, *Admirabilis in suo genere Theocritus*, nudam enim habet in pastoritia simplicitate amœnitatem, delectationémque, qua nihil dici potest amabilius. Redundat tamen in eo character dicendi plusculum familiaris, & crebrâ prouerbiorum frequentiâ imbutus; quod fecit, opinor, cur Fabius Musam Theocriti licèt venustissimam, *non solùm forum, sed etiam ipsam vrbem reformidare* diceret: neque id abhorret ab opinione Longini Rhetoris, qui nescio cuius peregrinitatis interdum notat Theocritum, πλὴν ὀλίγων τῶν ἔξωθεν, *nisi pauca externa, quæ affert.* maximè in iis exprimendis quæ sumpsit è vulgo: credo, quòd eius dictio

Lib. 10. cap. 1.

dictio rus saperet. Nam toto genere differunt πολιτικὸν εἶδος & βουκολικόν: quod non ita tamen est accipiendum, vt Theocritus à foro planè remouendus sit: nihil enim habent dicendi artifices, quod cum Gratiis ad Hieronem, aliísque sermonibus panegyricis comparari possit: ita sunt pleni bonæ mentis. At, si credimus Artemidoro veteri grammatico, multa circumferuntur nomine Theocriti, quæ sunt aliorum: vnde extitit vetus illud epigramma, cuius meminit Salmasius in Solinum tom. 2.

Βωκολικαὶ μοῖσαι σποράδες ποκά, νῦν δ' ἅμα πᾶσαι
Ἐντὶ μιᾶς μάνδρας, ἐντὶ μιᾶς ἀγέλας.

Bucolicæ Musæ sparsæ olim, nunc simul omnes in vnum locum & quasi gregem coactæ. Quo ostendit factam omnium in Theocrito carminum bucolicorum complexionem. Quod an ita sit, necne, viderint critici, Salmasius, & Heinsius sic existimant: haberemus idoneos super ea re auctores, quos consuleremus, Amarantum, Ameriam, Nicanorem, Munatum, Neoptolemum, & plerosque alios, qui scripserunt in Theocritum satis nobiles, de quibus Eustathius: nisi eorum commentaria periissent.

At quo loco Theocritus apud suauiorum Musarum studiosos habendus sit: nullus, vt existimo, magis declarauit vnquam, ac Virgilius, qui cùm per sese sit admirabilis in eo carmine,

atque eximius, tamen Theocriti Musam semel & iterum, non sine aliqua religione, implorauerit: in Pollione primùm, vbi sublime aliquid, & paulisper excelsum meditabatur.

Sicelides Musæ paulo maiora canamus.

Et iterum in decima ecloga, siue Gallo,

Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.

Quo poëtæ veneratio magis etiam significatur, qui Nympham inuocauerit, quæ Siciliam habitaret, quòd cum Theocriti Musa quidquam potuisset habere consuetudinis: quasi per eam speraret eius animos sibi debere inspirari. Quo nihil esse potest ad illius commendationem magis memorabile: de quo vt addam ipse etiam quod sentio, sic existimo, nullum vnquam fuisse non modò poëtam: sed cuiusuis ordinis scriptorem ad delicias, blanditiásque dicendas, magis natum: quod videre non poterunt, nisi qui in eo diu multúmque versati fuerint; vt operis tam venusti sensum aliquem, gustúmque, in eo tractando identidem, & ex interuallis regustando percipiant.

MOSCHVS. Moschum veteres à Theocrito primum statuunt, licèt ætate aliquantò superiorem, quòd is illo paulo quidem laxior, remissiórque sit: sed minùs etiam agrestis, neque tam retinens antiquæ illius βουκολίας, quâ notatur Theocritus: apud quem pleraque sunt priscæ simplicitatis plenis-

ſima. Iſte præ ſe fert neſcio quid maioris elegantiæ, politioríſque vrbanitatis. Quid enim epitaphio Bionis, aut Amore fugitiuo pictius, ſuauiúſque fingi poteſt? Pleraque ſunt ex eius carminibus paſtoritiis, quæ periiſſe teſtatur Giraldus, in dialogo de poëtis. Quibuſdam viſus eſt non alter à Theocrito, parum conuenienter, ſatis enim declarat vtriuſque character, quid inter vtrumque ſit diſcriminis.

Tertius Bion Smyrnæus, cuius ſe profitetur diſcipulum Moſchus, & ab eo carmen bucolicum accepiſſe, in epitaphio quod ſcripſit in eius honorem, BION.

Ἄλλοις μὲν τεὸν ὄλβον, ἐμοὶ δ᾽ ἀπέλειψας ἀοιδάν.

ad cuius commendationem nihil dici poteſt, quod à Moſcho prætermiſſum ſit: quem locum adeat, qui Bionis elegantiam omnem ſuauitatémque noſſe voluerit. At nemini credo paulo humaniori ſcriptor tam delicatus támque ſuauis, ignotus eſſe poteſt: omnem enim gratiarum elegantiam, omnem venuſtatem, omnéſque ſermonis delicias congeſſit in Adonidis epitaphium: vt omittam dicere de cæteris, quæ ſunt amœnitatis tam exquiſitæ: vt nihil dici poſſit, quod ad id genus pertineat, magis eximium. In quo tamen cum Moſcho non caret reprehenſione, quòd nimis cultus, elegánſque ſit: in hoc enim carmine, quod affectat ſimplicitatem, vi-

tium est semper videri velle bellum, & elegantem. Et in eo assentior Iulio Cæsari omnis elegantiæ magistro, qui in disputatione de iocis apud Tullium solebat dicere, se non amare nimis diligentes: est enim *quædam* apud Fabium, *diligentiæ peruersitas*, cuius nimis cupidè amantes, tanto odiosiores fieri solent, quanto magis concinni, & elegantes esse volunt.

De Oratore lib. 2.

Hi tres sunt apud Græcos in bucolicis poëtæ magis nobiles, quos nosse rei pastoritiæ intererat vel maximè. Nam in eorum labris, vt de Pericle veteres perhibent comici, leporem, venustatem, gratiásque omnes habitasse meritò dicere possim.

Meminit cuiusdam Euphorionis Chalcidensis poëtæ pastoralis Tullius; cuius carmina Græca Cornelius Gallus donauit Latinitate, vt ipse de se profitetur apud Virgilium hoc loco,

Lib. de nat. deor.

Ibo, & Chalcidico, quæ sunt mihi condita, versu
Carmina pastoris Siculi modulabor auenâ.

De quo, quemadmodum de poëta Himeræo, Daphnide, & Comatâ, qui carminis bucolici perhibentur auctores omnium vetustissimi, videant ij, qui pollent facultate diuinandi. Nunc agendum de Latinis.

Iudicium de Latinis.

VIRGILIVS.

Principes ij sunt in carmine pastorali apud Græcos, apud Latinos verò regnat vnus, tenétque principatum sine socio Virgilius: cuius ve-

ſtigia adorat omnis, quæ bonæ mentis eſt, antiquitas: quo viro exiſtimo nihil fieri poſſe diuinius. Vt enim ingenij, ſic iudicij, & pudoris erat caſtigatiſſimi; adeóque honeſtate, & verecundia longè ſuperauit Theocritum. Hunc enim in rebus amatoriis, nihil eorum quæ celari debeant, diſſimulantem videas, illum verò modeſtum ſemper, & quaſi verecundantem: in cæteris crebrâ, ac pæne iugi Theocriti imitatione, in eius veſtigia incurrit quamſæpiſſime: à quo ſuperatum Theocritum non tam fidenter auſim affirmare, quàm Iulius Scaliger, quem in iudicando vtplurimùm nimis præcipitem meritò cenſent eruditi. De vtroque iudicabat multo magis prudenter is, qui neutri palmam concedere poſſe exiſtimabat, quin de alterutro malè mereretur: in quo ſcilicet erat religioſior, quàm res ferre videbatur: exiſtimabat tamen ſimplicitatem Theocriti longè eſſe ruſticiorem, quàm Virgilij, illúmque tribuere pleraque paſtoribus ſuis, quæ Romanos paſtores decere minimè potuiſſent. Sic enim ille: *Neque Theocritus gloriam ex ſuis bucolicis carminibus reportaſſet, iis quas inducit perſonis Virgilianos ſermones tribuendo. Neque Virgilius ex ſuis, ſi illis quos inducit, ſermones Theocriteos tribuiſſet: neuter enim decorum ſeruaſſet.* Credo quòd Latini ſermonis grauitas pati non poſſit eam familiaritatem, quæ H. Steph. in proleg. ad Theocr.

eſt in Theocrito, ſaluâ maieſtate. At vt ipſe dicam de vtroque quid ſentiendum putem, ſic ſtatuo, in Theocrito elegantiam, amœnitatémque ingenij fuiſſe fortaſſe maiorem; iudicij vim, atque perſpicientiam meliorem in Virgilio: illum verborum audaciâ, & numerorum quâdam quaſi percuſſione exultantem videas vtplurimùm; hunc verò in omnibus ſemper religiosè, & prudenter timidum. Cùm tamen perſonæ, quas induxerunt ambo, tempora quibus floruerunt, patriúſque ſermo, quo vſi ſunt, nihil habeant inter ſe, quod commune ſit, non video quomodo comparari inter ſe poſſint; eſt enim vterque ſuo in genere incomparabilis: poteſtque dici de vtroque, quod de Daphnide, & Damœtâ dictum à Theocrito idyllio ſexto.

Νίκη μὰν οὐδ' ἄλλος, ἀνάσσατοι δ' ἐγένοντο.

Vicit neuter: namque ambo erant inuicti. De Virgilio qui Theocritum magiſtrum ſuum eſt aſſecutus, hunc locum exiſtimabat accipiendum Pontanus,

Nec calamis ſolùm æquiparas, ſed voce magiſtrum.

In quo, meo quidem iudicio præclarè iudicat. Primus autem ſcripſit bucolica apud Latinos Virgilius, vt liquet ex hoc loco:

Prima Syracoſio dignata eſt ludere verſu
Noſtra Thalia.

Et eo ſucceſſu, vt in ſcena quoque per canto-

res pronunciarentur. *Et populus*, si credimus auctori de caussis corruptæ eloquentiæ, siue Fabius ille sit, siue Tacitus, *auditis in theatro versibus Virgilij, surrexit vniuersus, & forte præsentem spectantémque Virgilium veneratus est sic quasi Augustum.* Porro quàm delicatum fuerit eruditissimi, politissimíque temporis Augusti iudicium, ex eo liquet, quòd sales facetissimos Plauti, qui primùm cum admiratione excepti fuerant, satis patienter tolerare vix poterat. Sanè quidem dignissimus erat diuinus ille vir, qui apud homines suos popularem haberet admirationem; quidquid enim erat in toto genere amœnitatis, & deliciarum, quod sermonis patrij grauitas recipere poterat, illud sic aspersit in omne suum opus bucolicum: vt illam solis concessam Atticis venustatem, atque elegantiam, omnésque veneres, & gratias Romam transtulisse videretur: proindéque à Tullio, vt aiunt, dictus sit *magnæ spes altera Romæ.* Horat. de arte poëtic.

Vt in admirabili illo viro commendando modum aliquem teneam, ne infinitus sim, de illo sic statuendum existimo: vt cùm summum illius ingenium admiratus fueris, nisi iudicium etiam magis admireris, non rectè de eo iudicasse videaris. Quæ porro Virgilius imitatus sit à Theocrito, quâ diligentiâ, quàm felici, fusè habes apud Hen. Stephanum, & Fuluium Vrsinum: vterque enim id executus est perdiligenter.

Omnem deinde à Virgilio consequentem ætatem valde inopem humanitatis, & poëticæ illius amœnitatis rudem, quíque eo carmine floruerint præter Calphurnium & Nemesianum, extitisse neminem, nemo non rudis est, qui nesciat. Ambo pro temporum conditione tolerabiles illi quidem, sed cum beata illa Augusti ætate nullo modo comparandi: neuter enim Virgilij succum expressit. Quod de Nemesiano imprimis satis apparet, qui tametsi puri sermonis amans videri velit, vix tamen satis liber est à crepundiis, nugísque puerilibus. Gentis suæ superauit quidem indolem vir Afer: sed ingenuitatis cùm maximè studiosus videri vult, semper aliquid præ se fert transmarinæ peregrinitatis.

NEMESIANVS.

CALPHVRNIVS.

Non maiori laude dignus est Calphurnius quantumuis Siculus; in eo sanè recognoscas formam quidem amœnitatis, & ingenij aliquam, sed rudem, atque imperfectam: suos habuit tamen laudatores, apud quos molli satis, & nudâ scribendi dulcedine commendabilis habetur, sed nihil ad ingenuitatem simplicitatémque planè mirificam Virgilij. Deterioris porro illius ætatis consecuta sunt tempora bene multa, quibus carmine pastorali, vel scriptum est nihil, vel planè interiit, quod scriptum est.

Eo tamen carmine, qui postremis temporibus

bus floruerunt, apud Italos, quorum ingenium semper habuit plurimum amœnitatis, extitere Petrarcha, Bocacius, Ioan. Pontanus, Baptista Mantuanus, Sannazarius, Vida, Tassus, Guarinus, Marinus, cæterique non pauci, quorum mentio bene longa habetur apud Nannium.

Petrarcha & Bocacius, quorum sine magno honore nemo meminisse potest, aliis carminibus longè se magis commendauere, quàm pastoralibus. Pontanus indolis ad hoc carmen attulit plurimùm, diligentiæ parum. Manifestum enim est, non ingenium & naturam ei defuisse, sed curam. Mantuanus verò meo iudicio videtur non tolerabilis: proindéque dignus cuius frigidissima ieiunitas agitetur: in quo, cum bello suo & admirabili iudicio rideri meritò debet Beroaldus, qui comparet eum cum Virgilio: in eo enim est suprà quàm dici potest perridiculus. Nam qui bucolica scripserit vnquam somniculosè magis, & oscitanter, vidi neminem. Nihil enim est, ne quid dicam grauius, tam sine omni non modò succo & sanguine, sed etiam colore & specie characteris bucolici: dignum opus, quod politis omnibus æternùm valere iubeatur. Nam quis satis patienter ferat tantam insulsitatem in eo carmine, quod per sese languens est, ni sit venustissimum? Nihil

Iudicium de Italis.

MANTVANVS.

enim tam ſine animo, quàm Mantuani eclogæ. Nihil dico de prauitate dictionis, quæ niſi pura ſit hoc in carmine, ferri non poterit.

HIER. VIDA. Hieronymus Vida in ſuo Daphnide, & Corydone, ſuáque Nice perdiligens eſt, & emendatus, & nimium ſemper inquirens in ſeſe, ciúſque carmen nimiâ Latinitatis religione quodammodo attenuatum. Latinum videlicet dici ſe volebat: hinc illa exilitas, quam deditâ operâ ſectabatur, quod non quiuis è turba, ſed is tantùm, qui ſit intelligens æſtimator, perſpicere poſſit. Eſt quoque eius oratio interdum fili paulo vberioris, quàm ferat ecloga.

SANNAZARIVS. Hos omnes ingenuitate, ſimplicitatéque dictionis, & bucolici affectus amœnitate ſuperauit vir ingenij perelegantis, & blandiſſimâ ſcribendi dulcedine commendatiſſimi Sannazarius: quamquam erit poſtea diſputandum, an inter bucolicos ſcriptores recenſeri debeat, eſt enim difficultas non mediocris.

MARINVS. Ioannes Baptiſta Marinus, propter amœnitatem ingenij, quæ erat in eo planè mira, venuſtatémque, à Duce Sabaudiæ militiæ ſuæ inſignibus donatus, amores paſtorum, piſcatorúmque cantilenas ſcripſit elegantiſſimo carmine: quibuſdam tamen è popularibus ſuis dignus viſus eſt alicuius reprehenſionis, quòd paſtores induceret nimis politos & elegantes, contrà

quàm ferebat rustica indoles: de quo quid sentiendum, iam declaratum superiùs.

Quid dicam de Guarini fistula? quæ admiratione sui totum fere orbem latè peruasit, quæque suauitate, lepore, deliciis, omnibúsque ad permulcendos animos illecebris, quarumuis tubarum famam adæquauit. Ea Pastoris Fidi celebritas fuit apud omnes elegantiorum litterarum studiosos, eósque passim omnes, qui suauiter ingeniosi videri volunt: apud quos iustissimam ingenij politissimi commendationem maxima cum laude meritus est. Idem dici debet de Amynta Torquati Tassi, & Bonarelli Phyllide, quibus nihil esse potest elegantius. Peccant tamen in eo Itali fere omnes, quòd quæ afferunt, quamuis vtplurimùm coniecta bellè sint, & acutè, largámque habeant & felicem copiam sermonis, atque rerum: tamen ad personarum indolem, & ad id, quod in vnaquaque re maximè decens est, in iis præsertim quæ ad pastores pertinent, non satis se accommodant. At probantur multitudini? magna certè laus, si grauissimum esset & commendabile multitudinis iudicium. Eò accedit, quòd nimis fusè & abundanter dicant quæ dicenda sibi proponunt, quòd Italus sermo per se se bene locuples sit, & copiosus, eámque proferat ex se verborum vim & abundantiam, in qua

GVARINVS.

TORQVATVS TASSVS.

modum tenere difficile ſit. Quod tamen vitium eſt in poëta præſertim paſtorali non mediocre. Vt enim Antonius apud Tullium, copioſum oratorem opponit prudenti: ſic ego poëtam, tum paſsim omnem, tum præſertim eum, qui paſtoritio carmini det operam. Nihil enim eſt, meâ quidem ſententiâ, in quo prudentiam ſuam commendare magis poëta poſſit, quàm ſi ſit in dicendo quammaximè parcus. Cæteras autem huius, & ſuperioris ætatis delicias, vt finem aliquem facere poſsim, præteribo. Non poſſum tamen quin addam vnum verbum de Bucanano, Scæuola Sammarthano, Grotio, & Daniele Heinſio, à quibus ſingulis ſingulæ ſcriptæ ſunt eclogæ, ſanè admirabiles, nihil enim dici poteſt Damœtâ Sammarthani, Myrtilo Grotij, Bucanani Amaryllide, & Heinſij Tyrſide in eo genere magis exquiſitum.

RONSARDVS. Ronſardus apud noſtros id etiam generis carmen tractauit, ſatis feliciter, quantùm pertinet ad paſtoritiam ſimplicitatem exprimendam. erat enim in eo mirificus. Et quamuis primarios, principéſque viros inducat paſtoralium perſonarum obſcuritate adumbratos: ruſticationis, paſtioníſque moribus ſic oblinit eorum affectus omnes, vt nihil vſpiam ſit, quod magis paſtorale eſſe videatur. Lentus eſt tamen interdum, ſiue ob infantiam linguæ Gallicæ, quæ

nondum huius oris erat, vt id ætatis bucolici carminis breuitatem exprimeret; siue ob longiores contextus orationis, qui pro carminum similiter desinentium necessitate, longis perplexi sunt vtplurimùm circuitionibus, quod carminis bucolici pressa vis pati minimè potest. De reliquis, qui scriptis carmine patrio eclogis sæculum nostrum ornauerint, quòd nimis multi sint, silebo. Nam non vacat omnes persequi velle. Certè nondum extitit apud nos, qui eo genere carminis deterreat alios à scribendo, & excellentiâ suâ tardet studia cæterorum. Plerique enim è nostris, qui scribunt eclogas, languentes sunt, & frigidi. Inter cæteras tamen, quæ patrio sermone scriptæ sunt, famam obtinuit vna apud omnes politioris iudicij viros incredibili suauitate carminis, & tenerrimorum affectuum lenitate sanè quidem commemorabilis. Quo auctore? ipsi sentiunt per sese satis non indiserti. Certè non committam, vt aut faciam quemquam inter cæteros præcipuum; aut vllum reprehendam. Nam ineptiarum earum, quibus interdum obnoxij sunt litterati, quæ sunt innumerabiles, ea est, meo iudicio, non postrema eorum, qui mordent se inuicem, & inutilibus rixis, tanquam gladiatoriis disputationibus compungunt se mutuò: vt nescio quid inanis gloriolæ aucupentur, cùm

aliquos se præstare volunt reprehensione cæterorum,

Phædri lib. 4. fab. 6.

Et vt putentur sapere, cælum vituperant.





PARS QVARTA.

EXPLICANTVR RELIQVÆ difficultates quæ ad carmen pastorale pertinent.



DE tota carminis pastoritij disciplina, quæ venerant in mentem, dixi pro eo ac potui, satis intelligenter: nunc, ne quid sit, quod ad perfectam totius huius disputationis tractationem meritò desiderari queat, sequitur, vt reliqua, quæ in hoc negotio difficultatem habent, breuiter expediam.

Primum est, quæ vera, iustáque sit carminis huius appellatio: nam varium multipléxque bucolicorum apud antiquos fuisse nomen, compertum est inter eruditos. Carmen pastorale primum, quod de Daphnidis amoribus cani cœptum est, teste Æliano dictum ὕμνος ἐφ' Ἱμέρᾳ, Lib 10.c.18.
quòd ad Himeram Siciliæ fluuium vsurpatum sit: vt patet ex idyllio Theocriti 7. cuius argumentum est, *res ad Himeram gestæ*. Ex quo factum vt omnia deinceps bucolica τὰ εἰς Δάφνιν ποιήματα veteres appellarint: vt docet Imperator Iulianus,

in Antiochensi, vbi poëtam eum, qui scripsit Aïtem, siue Theocritus is fuerit, siue quiuis alius, τῶν εἰργασμένων εἰς Δάφνιν ποιήματα, ἕνα vocat: quod Heinsius cap. 4. de Theocriticis lectionibus, τῶν βουκολικῶν interpretatur. Vnde exorsus sua bucolica Theocritus, à Daphnide, in idyllio Tyrsidis, Virgilius verò sua conclusit, per eiusdem Daphnidis imitationem, cuius affectiones Gallo suo dedit.

Ex Valerio Probo dictum hoc carmen astrabicum ab ἀστράβη sella lignaria, vt explicat Hesychius, in quam imponebatur, qui carmen hoc cantabat. Quod fusè describitur apud Giraldum. Deinde dictum βουκολικὸν à bubulco, quippe qui pastores inter præcipuus sit. Et glossarum quæ ad Apollonium extant auctores, Theocriti cùm citant opera, non εἰδύλλια, sed τὰ βουκολικὰ nuncupant. In quo conspirat Hermogenes, sic enim ille de Theocriti carminibus, καὶ πάλιν τὰ Θεοκρίτου ἐν τοῖς βουκολικοῖς. Dicteria autem quæ iactabant inter se pastores, si aberant ab inclementia, & amaritie, βουκολίαι dicebantur ab hoc scribendi genere, vt auctor est Hesychius, cuius perfectæ βουκολίας exemplum habemus in idyllio 5. Theocriti, & ecloga 3. Virgilij. Extat autem vetus Artemidori grammatici epigramma, cuius est hæc inscriptio, Ἀρτεμιδώρου γραμματικοῦ ἐπὶ τῇ ἀθροίσει τῶν βουκολικῶν ποιημάτων,

quod

quod perspicuum est ex Theocriti ipsius sententia, qui idyllio primo βωκολικὰς ἀοιδὰς appellat cantus illos pastorales. Vnde extitit celebris ea hoc carmine ἐπῳδὴ,

Ἄρχετε βωκολικᾶς μῶσαι φίλαι, ἄρχετ' ἀοιδᾶς.

quæ certi cuiusdam προσᾴσματος, & ἐπιμελῳδήματος vice, ex interuallis solebat iterari.

Quæ faciunt vt assentiar Heinsio, cùm cap. primo lectionum Theocriticarum, affirmat vulgarem inscriptionem, Θεοκρίτου Συρακουσίου εἰδύλλια, librariorum, aut posteriorum hominum esse, non poëtæ ipsius: sed decem carmina quæ pastoritia scripsit, βουκολικὰ: cætera quorum argumentum varium est, εἰδύλλια dici debere; vt sunt, χάριτες, Συρακούσιαι. Sic enim solebant Græci inscribere opera sua, cùm res varias tractabant: vt factum à Pindaro, qui sua, εἴδη nuncupauit: quòd eius poëmata sint quædam quasi rerum imagines: sic quoties varium quid erat, ac multiplex, quod à materia vna inscribi minimè poterat, appellare solebant. Vim vocis perceperat Virgilius, qui cùm, in opere pastorali describendo, Theocritum exprimere studeret, vulgarem eius inscriptionem non secutus sit, non enim εἰδύλλια, vt factum à Sannazario, & plerisque aliis, sed eclogas, opus suum inscripsit.

Quæ fuit alia carminis huius appellatio, præsertim à Latinis vsurpata, & petita, credo, pri-

mùm ab philoſophis Eclecticis, de quibus eſt mentio apud Suidam, quorum dux fuit Polemo, quíque Polemonis exemplo, ex philoſophis meliora ſeligebant, illi ἐκλογὰς ποιεῖν dicebantur: quales ſunt Sopatri ſophiſtæ de varia doctrina ſermones apud Photium. Athenodorus eclogas appellat excerpta quædam è fabulis memoriæ cauſa, cuiuſmodi ſunt apud Polybium bene multa. Sunt qui velint eclogam ſignificare narrationem, quod res nudè, & ſimpliciter exponat: vnde eclogas ſcripſit Auſonius de cruciatu Cupidinis, de vita humana, ſed non paſtorales. In vetuſtis verò codicibus Bibliothecæ Vaticanæ ſatyrarum libros & ſermonum apud Horatium eclogas inſcriptos eſſe teſtatur Achilles Statius Luſitanus.

Qui autem eclogam deriuant ἀπὸ τῆς αἰγὸς, quòd de capellis agat, nugatores ſunt; miniméque audiendi. Quod erat breuiter exponendum de vocis illius ſignificatione. Nunc autem, cùm idyllium, & eclogam promiſcuè videam vſurpari à doctis (nam Donatus eclogas Virgilij vocat idyllia, Caſaubonus verò idyllium Theocriti tertium, ſiue Comaſtem in Theocriticis lectionibus appellat eclogam) habet id etiam quidpiam difficultatis; facit tamen exemplum Virgilij, vt carmen paſtorale meliùs à Latinis eclogam quàm idyllium dici debere putem: non enim

qui tam religiosè Theocritum imitari, & in omnibus exprimere pro se conabatur, eum in hac parte deseruisset, si commodè fieri id posse iudicauisset. Eò accedit quòd cùm ecloga magis propriè collocutionem significet, vt manifestum ex Tullio, qui collocutores in disputatione de gloriâ apud Atticum suum vocat eclogarios: multò magis conuenienter tribuitur carmini bucolico, quod præcipuè est ἀμοιβαῖον. Amat enim imprimis carmen illud, vt à nobis declaratum est, vices sermonis, quales postulat mos dialogorum.

Altera difficultas est, sanè non mediocris: an vnum quid ecloga, simpléxque sit? Nam nihil peræque commendatur ab Horatio quouis in opere, ac vnitas: quod videtur à Virgilio in eclogis neglectum. Ecloga enim octaua, ex Seruio duas habet partes, altera est Damonis miserè amantis, desperatíque, quòd sibi præferatur Mopsus; in altera verò carmen magicum paratur. At res non patietur difficultatem, si poëtæ institutum per se attendatur, quod semper est vnum, & actionis vnius imitatio, contentio inter duos pastores. Sic in Palæmone; tametsi pro se quisque duorum inter se contendentium pastorum varia obtendat, Melibœus Amyntam ignem suum laudet, suam Galateam Damon, is amores dulces, ille amaros experia-

An vnum quid simpléxque sit ecloga?

tur: vna tamen est actio, contentio de excellentia, cuius arbiter est Palæmon: pastoritium enim carmen non potest esse planè iustum, nisi ad vnitatis normam exigatur. Sic etiam in Tityro, licèt alia videatur esse actio Melibœi suam vicem deplorantis, alia Tityri canentis Amaryllidem: tamen illud omne, quid vnum planè est, exulis videlicet Melibœi querimonia, de agris amissis, apud amicum, & otio abundantem Tityrum. Nam, vt docet Syncerus apud Minturnum, *singulis eclogis vnum quiddam est exprimendum.* Non placet tamen quod venit in mentem Nannio, totum opus bucolicum vnum esse debere, & quandam quasi rusticam comœdiam in eclogas, tanquam totidem scenas pastorales diuidi. Quod cùm factum à Virgilio persuadere vult, & principem locum tribuit Sileno, Gallo postremum, parum sanus est meo iudicio. Quis enim sibi persuadeat, quæ omni bucolico opere, quod tam varium est, & multiplex, complexus sit vel Theocritus, vel Virgilius, aliquâ serie, rationéque necti inter se debere, & certâ vnitate comprehendi? Quod qui contendat, videbitur dignus, qui pro suis magnis meritis rideatur valde liberaliter: vt & is, qui docet apud Minturnum numerum decem eclogarum superare non debere opus bucolicum: quod varietas actionum pastoralium vltra numerum

hunc proferri minimè possit, nugæ. Quis enim hoc sibi persuadeat, actionum omnium, quæ in pastoralem conditionem cadere possunt, numerum iis angustijs definiri? Cùm vel sermonis apud eos quotidiani materia tam varia sit ac multiplex.

Quæri potest hoc loco, an principium, & finem habeat ecloga ex natura sua definitum, nam monet Aristoteles in fabula bene constituta, neque ducere initium, neque finem facere pro arbitrio poëtæ licitum: quod sic est accipiendum; vt in maioribus fabulis, quales epicæ, sunt, & tragicæ, locum id habere debeat. Nam vt vel pro re nata, vel pro arbitrio, initium finémque dicendi facit pastor, ita poëta pastoritius: quod in iis tantùm fabulis obseruari debet, in quibus constructio ipsa, & moles requirit aliquam ordinis constitutionem: vt vitetur confusio. Cap. 8. poëtices.

Tertia difficultas est, quæ debeat esse eclogæ magnitudo; quod video agitari id temporis apud homines nostros. Certè nihil est hactenus, quod sciam, super ea definitum: apud Theocritum vtplurimùm numero versuum continetur longè maiori, quàm apud Virgilium: quamquam numerus is, qui summus est in Theocrito, ferme non superet centum & sexaginta versus, quod est intelligendum de idylliis pastoralibus, *Quæ sit eclogæ magnitudo?*

cùm in quibusdam aliis, vt in Hercule λειποθύμ sit bene multo maior. Cùm nihil habeam ex antiquis, quod certò pronunciem de magnitudine huius carminis, assentior Iasoni Denori doctori Patauino, qui sic definit eclogæ magnitudinem in sua poëtica. *Est breuis sermocinatio inter pastores vnius horæ, vel aliquid paulo ampliùs*: qualem fert colloquij, quod ruri habetur inter pastores, ratio: quod consentit satis cum eclogarum Virgilij, & idylliorum pastoralium Theocriti magnitudine. Ea enim est ingenij pastoralis indoles, & conditio, vt abhorreat ab illa bene longa perpetuitate sermonis, orationisque magnitudine, cuius soli duntaxat intelligentes, & eruditi patientes esse possunt. Quod facit quoque, cur instituendus inter pastores sermo non conueniet eorum indoli, nisi valde bene varius sit; quemadmodum fert ingeniorum eorum ratio, qui rudes sunt, & imperiti; vt enim sermonem è re nata solent instituere, non modò nihil afferunt meditatum, sed illud ipsum, quod dicunt, ad obuia quæque finunt distrahi: vnde oriuntur tam variæ, ad res quaslibet obiectas, sermonis conuersiones, quæ quò crebriùs in eclogis frequentiúsque adhibebuntur, magis retinebitur decorum illud indolis pastoritiæ, quod quærimus: nam videndum semper quid carminis istius natura postulet, quid patiatur.

Longè grauioris est negotij quarta difficultas. An actio pastoralis carminis epici argumentum esse possit? cuius tamen difficultatis facilis erit explicatus, si consulatur Aristoteles, apud quem epopœia *est imitatio actionum illustrium*, *μίμησις σπουδαίων*: & apud Horatium materia carminis epici, sunt *An actio pastoralis carminis epici argumentum esse possit?* Cap. 5. de poët.

Res gestæ regúmque, ducúmque, & tristia bella.

Quapropter, vt ea est carminis heroïci maiestas, excelsitásque, quæ ad ingenium pastorale demittere se non possit; sic ea tenuitas, simplicitásque pastoralis, quæ ad epopœiæ excelsitatem, non possit animos erigere. At si pastor per sese illustris sit, vt Moses, si magnum quid moliatur, si populum ingentem liberet à seruitute, vt factum ab eo memoriæ proditum est: nonne poterit institui de eo carmen heroïcum? Sine dubio poterit, modò deponat personam pastoris, & à summo numine delegatus ad Pharaonem, ducis & imperatoris dignitatem, maiestatémque induat. At erat pastor? ex quo factus est heros, pastor esse desiit; recténe autem an secus dicatur idyllium heroïcum, carmen de Mose, viderint eruditi.

Quid si Leonem, vel vrsum in defendendo grege decerpat Dauid, an facto tam audaci dabit materiam carmini epico? Non existimo; vt enim facinus audax, & grande sit, non est illu-

ſtre, quod factum in ſolitudine: & quamuis luctari cum bellua dignum ſit heroë, non dignum tamen, quod heroibus ad imitationem proponatur. Nihil enim inde peti poteſt ad morum informationem, & diſciplinam, quæ traditur ab epopœia.

At ſi paſtoris actio deſcribatur heroïco carmine, cum omni epiſodiorum inſtrumento, & euentis rerum inſperatarum, vt factum à Marino, in Adonide; quid erit futurum? Quod factum videmus, carmen planè nouum, cui nihil ſimile ſit apud antiquos; certè epopœia ex Ariſtotelis, & Horatij diſciplinâ eſſe minimè poterit. Quod tametſi non ad rem noſtram pertinere videbatur: erat id tamen definiendum à nobis, vt ad difficultatem, quæ conſequens eſt, quædam quaſi via muniretur.

An actio paſtoralis, tragœdia, vel comœdia eſſe poſſit?

Quinta itaque difficultas eſt, an actio paſtoralis tragico, vel comico carmine deſcripta, tragœdia, vel comœdia futura ſit? Quæ controuerſia tantâ contentione animorum, ac pæne dicam æſtu, & inflammatione in Italia, ſuperiori ætate fuit agitata, vt needum ſuper ea re diſputari deſitum ſit. Rem vt definiam, non hîc ſeriem rationum vtriuſque partis bene longam proferam, cùm ex ſuperioris controuerſiæ explicatione, iſtius non ſit difficilis reſponſio; vt enim ſe habet ad narrationem actio, ita ſe habet ad

ad repræsentationem: cùm ex Aristotele summa sit inter vtramque proportio: vnde fit vt ex Iliade aut Odyssea tragœdiam fieri posse doceat. Vt autem actio tractata epico apparatu, epopœia esse non potest: sic non erit vel tragœdia, vel comœdia, tractata δραματικῶς, & per repræsentationem. Par enim est in vtroque ratio. Quem nodum soluant vtinam, si qui sunt, vt certè sunt bene multi, Amyntæ, Pastoris Fidi, & Phyllidis amatores: nihil enim est quod malim, quàm vt genus istud carminis, quod omnium apud Italos, amœnitatis & deliciarum est plenissimum, ab obtrectatorum reprehensionibus vindicetur. Certè si vindicari non possit aliter, quàm vt neque tragœdia, neque comœdia sit: sed nouâ donetur appellatione, quæ non habeat exemplum apud antiquos, nouúmque poëticæ genus constituat, vt dictum de idyllio pastorali, non magnopere repugnabo. Sit ludus, fabuláque pastoralis, vel ecloga maior, vt appellatur à Benio in poëticam Aristotelis: modò non tragicomœdia sit, cuius vocis nullus apud antiquos vsus, nulla vis vnquam fuit. Nam Plautus apud quem extat in prologo Amphitruonis, non videtur vocum Græcarum auctor idoneus. Cap. 4. de poëtica. Cap. 23.

Quamquam pastores, & rustici de republica non tam bene meriti sunt, vt eorum vtilitas, cum oblectatione à magistratu procu-

rari debeat. Ludi enim exhibentur ab iis, qui rempublicam adminiſtrant, vt populus bonis moribus informetur. Quæ cauſa erat cur populus tam magnis immunitatibus apud Athenienſes ad theatrum, tanquam ad certam emendationem vitæ, publicámque morum inſtitutionem, inuitaretur. Pertinet enim ad καθαρτικὴν καὶ ἐλεγκτικὴν philoſophiam poëtica. Sed mentem non tam nudè hîc declaro meam: poſtquam tam multæ in tota paſſim Italia, ſuper ea re, contentiones exarſerint; réſque defenſa ſit à viris in omni diſciplinarum genere, tam excellentibus. De ludis tamen illis, fabulíſque paſtoralibus, quæ ad ſcenam interdum exhiberi ſolent, mihi videor affirmare poſſe, eas ad oblectationem vulgi valere poſſe: atque in omni bene conſtituta republica, vt cæteras id genus animi relaxationes locum habere debere. Eſt enim vt laboris, ita & otij quædam diſciplina: vt præclarè admodum, & ſapienter docet Ariſtoteles, (Lib. 8. de rep. c. 3.) quam ipſa per ſeſe quodammodo quærit natura, non ſolùm vt in negotio, ſed etiam otio rectè honeſtéque verſetur: quod eo loco fuſiùs perſequitur: διὰ τὸ φύσιν αὐτὴν ζητεῖν, μὴ μόνον ἀσχολεῖν ὀρθῶς, ἀλλὰ καὶ σχολάζειν δύνασθαι καλῶς. Quod ad felicitatem publicam pertinere exiſtimabat in ſua Republica Plato. Illud autem poëticæ genus ad ſolam animi oblectationem pertinebit. Nam poë-

ticæ genus duplex esse statuo, perfectum alterum, quod ad καθαρτικὴν philosophiam: hoc est ad purgationem morum pertineat; & vtilitatem habeat coniunctam, cum oblectatione, de qua Horatius ad Pisones:

Et prodesse volunt, & delectare poëtæ.

Alterum verò imperfectum, quod solam oblectationem spectet: vt sunt odæ, siluæ, epigrammata, elegi, qui Romæ medio in foro cantabantur ad populum, vt testatur de suis Ouidius eleg. 8. primi de Ponto:

Et dedimus medio scripta canenda foro.

sic omnes cantiones illæ, quibus vel multitudo tenetur in triuiis; vel pueris infantibus conciliatur somnus à nutricibus; vel aniculæ, operarij, & mancipia permulcentur. Primum quod pertinet ad mores traditum est ab Aristotele & Horatio: nam de epopœia, tragœdia, comœdia, fusè ab vtroque præceptum est. Alterum vt minùs necessarium, quod vni voluptati, vel aurium vel oculorum seruiat, planè prætermissum. Satyram enim, de qua præcipit Horatius, comœdiæ speciem facit Isidorus, quod sumpsit à Græcis, apud quos κωμῳδεῖν & σατυρίζειν, pro eodem sumi interdum videmus. Et quamuis intemperantem in notando libertatem, asperrimósque sales adhibeat, vt risum captet: tamen præter risum quærit morum

Cur Aristoteles & Horatius non tractarint de cæteris poëticæ partibus.

emendationem, & virtutem docet: vt facit comœdia, nonnunquam reprehendendo. Quæ partitio poëtices in perfectam, & imperfectam, ex accurata illa, in Aristotelis & Horatij poëticam, obseruatione petita, valere poterit ad nobilem eam, de ludis pastoralibus, controuersiam aliquo modo componendam. Licèt enim non pertineat id genus carminis ad poëticam perfectam, quæ magistra est morum: tamen in republica, ad otium populi & principum virorum oblectandum retineri poterit. Sic enim satisfactum sibi putabunt, qui tollendum hoc carmen, ob imperfectionem, quíque ob amœnitatem retineri volunt.

Pleræque sunt autem, quæ ruri celebrantur cantiones, de quibus nunc quærendum: an ad carmen pastorale referri, aut quoquomodo pertinere queant. Quæ postrema difficultas est.

Messoribus imprimis suos esse cantus, quibus se oblectent, ac mulceant acerbitatem laboris, testatur Athenæus lib. 14. Iullius Pollux lib. 4. & Theocritus in θερισταῖς idyllio 10. Vbi inter metendum, Battum hortatur Milo, vt nimij laboris tædium leniat cantilenâ.

μέλος ἀμβάλευ, ἅδιον οὕτως
ἐργαξῆ.

Carmen incipe, suauiùs ita opus perficies. Tum post Batti cantum, λυτιέρσαν orditur Milo, quæ percelebris erat in honorem Cereris cantilena.

Θάσαι δὴ καὶ ταῦτα τὰ τῶ θείω Λυτιέρσα.

Vide & hæc quæ sunt diuini Lytierſæ. Sic dictum carmen illud à Midæ filio Lytierſa, qui Celænas habitabat: Eum, cùm agrorum cultui præter modum ſtuderet, viatores ad epulas inuitare ſolitum, vt ſibi in facienda meſſe operam darent, & nimio labore defeſſum interiiſſe; pluribus habetur apud Iulium Scaligerum. Eſt Lib. 1. poëticæ autem apud Theocritum idyllio x. ſuauiſſimi Lytierſæ illius percelebre exemplum, pleniſſimíque variarum identidem adhortationum, quibus meſſorum alacritas excitabatur: & vt erat in honorem Cereris, ab eius inuocatione initium habet:

Δάματερ πολύκαρπε, πολύσταχυ τοῦτο τὸ λαῖον εὔεργον.

Ceres frugifera, ſpicifera fac, vt ſeges procedat. Habentur & apud Caſaubonum in lectionibus Theocriticis, verſus Soſibij, quos Soſitheo tribuit Athenæus, quibus omnis hiſtoria Lytierſæ deſcribitur. Sed vt redeam ad inſtitutum, aſſentior Heinſio, qui idyllium Theocriti, in quo de Lytierſa agitur, nec βουκολικὸν, nec αἰπολικὸν, ſed θεριστικὸν eſſe declarat. Quod ſatis innuit Seruius: cùm idyllium illud à numero paſtoralium reiicit. Quod etiam per ſeſe ſatis liquet, ſi ad carminis paſtoralis definitionem attendatur: eſt enim imitatio actionis paſtora-

lis, extra quam carmen illud verſari minimè poteſt.

Idem opinor ſtatuendum de τρυγῳδία, quæ cantilena celebrabatur à vindemiatoribus. Ii enim poſtquam laboris triſtitiam fregerat vini largioris hilaritas, ſiue muſti fumo perciti, ſiue Bacchi numine incitati canere ſolebant. Mentionem illius cantilenæ facit Ariſtophanes in Acharnenſibus: cuius ſic eſt initium: Scena 1. act. 2.

Φαλῆς ἑταῖρε Βακχίου, &c.

Phales (ſiue Priape) comes Bacchi. Et Athenæus libro ſecundo. At non erat paſtoralis, ſicut neque carmen epilenium de botris contritis: neque illud de quo Phrynicus in comicis, quod vulgò πτιστικὸν appellabatur, ἀπὸ τοῦ πτισμοῦ. Erat & quædam cantionis ſpecies peculiaris ſeruorum mercede conductorum, cùm ad opus commearent: de qua Teledeides in Amphictyonibus, & Ariſtophanes in feminis ſacra bonæ deæ facientibus, quæ ad carmen paſtorale pertinere non poteſt. Ita neque cantus is, de quo Nicochares in Hercule apud Athenæum, vbi de his longa mentio. Idem exiſtimo cenſendum de cantilena illa, quam vſurpare ſolebant in tripudiis Græci, quæ ἄνθεμα dicebatur: cuius erat initium. Ποῦ μοι τὰ ῥόδα; ποῦ μοι τὰ ἴα; ποῦ μοι τὰ καλὰ σέλινα; Quod habeat plurimum venuſtatis, & ἀδολεσχίας illius ſimpliciſſimæ, quæ propria erat bu-

colici carminis : ad cuius formam, & imitationem Theocritus idyllium secundum exorsus est:

Πᾶ μοι ταὶ δάφναι; φέρε Θέστυλι· πᾶ δὲ τὰ φίλτρα;

Est autem mentio cantilenæ illius apud Athenæum. Lib. 14.

De venatoribus verò, piscatoribúsque, res habet plus difficultatis: tametsi nemo sit, qui nesciat cantus ab vtriusque instituto esse vel maximè alienos : cùm feræ piscésque, quibus in venatione & piscatu parantur insidiæ, strepitu absterreantur. Sed facit negotium præstantissimorum inter Italos poëtarum Sannazarij, & Rotæ, & apud Batauos Grotij, auctoritas: quorum extant piscatoriæ eclogæ sanè incomparabiles. At existimo rem criticorum iudicio definiendam, qui existimant piscatoriæ rei tractationem ad carmen bucolicum nihil pertinere. Nam Theocritus fecit idyllium piscatorium, quod Seruius in vita Virgilij, Heinsius in lectionibus Theocriticis, Salmasius in notis ad Syringem reiiciunt à numero idylliorum bucolicorum: & Heinsius ibidem ἁλιευτικὸν atque θεριστικὸν distinguit à bucolicó. Quod consentit cum definitione nostra, quæ carmen pastorale intra fines actionis pastoritiæ contineri vult: in quo duntaxat vno deficiunt eclogæ piscatoriæ Sannazarij, quæ ad characterem carminis bu-

colici planè accommodatæ ſunt; ſed etiam ſpeciem carminis conſtituunt à paſtorali diſtinctam quidem, ab huius tamen carminis ingenio non valde abhorrentem.

De venatoribus autem, quorum vita propemodum omnis inquieta eſt, idem exiſtimo. Nam manifeſtum eſt cum cantu non bene conſentire venationem; adeóque venatores non tam commodè in eclogas induci poſſe: quamquam idyllia de venatoribus inſtitui poſſe non nego, quæ vel ſiluæ, vel deſcriptiones, vel nouo, ſi ita placet, alio nomine vocari poſſint. Vnde Clearchus libro primo amatoriorum, cantionem quandam nomiam dici tradit ab Eriphanide, quæ fundendorum carminum non imperita, cùm venatorem Menalcam amaret ſupra modum, feris per ſiluas agitandis ſe exercebat, & vaga per vaſtas ſolitudines, atque amore perdita, carmen cantabat nomium, cuius verſiculus is habetur apud Athenæum libro 14.

μακραὶ δρύες ὦ Μέναλκα.

At neque illud, quantumuis ruri & in ſolitudine cani ſolitum, paſtoritium eſt: neque puto à venatore, niſi venatione intermiſſa, commodè vſurpari poſſe.

De καταβαυκαλήσεσι, quæ cantilena erat propria nutricum lactantium; de ἐπιφάλλῳ; iocis feſcenninis,

ninis, Borimo, cæterísque ab Athenæo, & Iulio Polluce memoratis. De ἰούλῳ, quem Didymus ait hymnum esse in laudem Cereris ab agricolis & messoribus cani solitum, cæterísque cantionibus ruri celebratis, idem esto iudicium. Athen. lib. 14. Poll. lib. 4. cap. 14.

Non deerunt, opinor, præsertim è curiosulorum gente, in quibus est aliquid litterularum, qui negligant has litteraturæ reconditioris opes, quas Argolicis, Mycenensibus, & omni veteri Atticæ pubi relinquendas existimabunt: homines planè lauti, mundíque; sed ab omni bonarum artium disciplina nudi, atque inopes: adeóque digni, quibus cum profana atque imperita multitudine, aquâ Castaliâ, & igni poëtico, omníque amœniorum Musarum consuetudine omnino interdictum sit.

Ne autem quæstiones in re, quæ per sese non ita grauis est, persequar infinitas: cætera quæ planiora sunt, in pauciora conferam. Post agitatam de ludo pastorali controuersiam: consequens est vt quæratur, an carmen pastorale repræsentaretur in scena aliquo apparatu, an tantùm recitaretur? De Græcis, credo, non est difficultas: nam Theocriti, Bionis, aut Moschi bucolica data fuisse vnquam in theatrum Athenis, à nullo auctore, quod sciam, proditum est. Quamquam Græci bonarum littera-

rum ſtudio dediti ſcenicam artem magis colebant, quàm Romani, qui rei familiari conſtituendæ, & forenſi ambitioni plus ſeruiebant. Certè eclogas Virgilij recitatas è theatro apud Romanos tradit, qui ſcripſit illius vitam, & à Seruio proditum accepimus, eclogam ſextam, quæ Silenus inſcribitur, à Cytheride celebri illa & famoſa Volumnij liberta, quæ Lycoris dicitur à Virgilio eclogâ decimâ, in theatro decantatam: cæteráſque paſſim eclogas per cantores, & pueros ſymphoniacos in ſcena pronunciari ſolitas; non verò miniſterio perſonarum repræſentatas: quamquam & ipſi quoque ludorum elegantiâ, & magnificentiâ ſpectaculorum delectarentur. Vnde etiam colligi poteſt, quod ſuprà fuit à me declaratum, quàm parum ſcenæ, quæ mores vrbanos, & popularis vitæ diſciplinam exprimit, carmen paſtorale conueniret: cùm ab illa reiectum ſit apud eas gentes, quæ in omni genere deliciarum faſtidij erant tam delicati. Verſus autem paſtorales ad fiſtulam cani ſolitos manifeſtum eſt ex Virgilij Tityro.

——& ipſum
Ludere quæ vellem, calamo permiſit agreſti.

& ex aliis paſſim locis. Vt enim heroïci, Homerici præſertim carminis erat ea maieſtas, ex Alexandri Magni ſententia, vt ad tubam cani de-

beret: ſic ea ſuauitas eſt verſus paſtoritij, vt non niſi ad graciles calamos, & tenuem fiſtulam cani rectè poſſit. Vnde fiſtula vulgò dici ſolet inuentum Panis, qui Deus erat paſtorum: hinc illud Virgilij:

Pan primus calamos cerâ coniungere plures
Inſtituit.

Et Paniſcus in nuptiis Pſyches cantabat ad fiſtulam, vt ad cytharam Apollo: quemadmodum teſtatur Apuleius libro ſexto Metamorph. Quod confirmat Tryphon lib. 2. nomenclaturarum, qui bucolicum carmen recenſet inter cantiones tibiis & fiſtulis fieri ſolitas. Et ex notis auctoris, ad Syringem Theocriti, perſpicuum ſatis eſt fiſtulam carmini paſtorali canendo per ſeſe eſſe comparatam. Quod Plato vir πολιτικώτατος declarat ſatis, cùm libro tertio reipublicæ, in ea quam animo deſcripſerat πολιτείᾳ, poſtquam lyram & citharam aſſignauit vrbibus, fiſtulam carmini bucolico canendo idoneam tribuit agris & paſtoribus, κατ' ἀγροὺς τοῖς νομεῦσι σύριγξ; vt etiam patet ex Theocriti Thyrſide, & epigrammate ad Daphnim:

Δάφνις ὁ λευκόχρως, ὁ καλᾷ σύριγγι μελίσδων
Βουκολικοὺς ὕμνους.

Interdum autem ſaltatum, choreáſque ductas ad numerum, & cantionem bucolici carminis, auctor eſt Heſychius, qui duas conſtituit huius

carminis species. sic enim ille, Βουκολιασμὸς μελοποιΐας τινὸς εἶδος καὶ ὀρχήσεως. ἀμφότερα δὲ ἀγροικὰ, καὶ Θεοκρίτῳ γέγραπται. *Duplex est carminis bucolici species, altera in ipso carmine, altera verò in tripudio siue saltatione posita: vtraque rustica, & agrestis, & vtriusque exemplum habetur ex Theocrito.* Nam ad posteriorem speciem referendum ait Comum siue Amaryllidem. Κῶμος εἶδος ὀρχήσεως. sic idyllij secundi magna pars ita mimos Sophronis spirat omnes: vt cum σχηματισμῷ, & scenico totius corporis motu, gestúque, pronunciari debere videatur. Ex quo, aliísque passim locis Theocritus δραματικώτατος censendus: quod imitari vel noluit, vel non potuit Virgilius, apud quem nullum extat speciei illius bucolicæ, quam Hesychius vocat ὄρχησιν, exemplum. At venit in mentem vereri, ne plura in hanc partem verba fecerim, quàm res fortasse postulabat: sed nihil istorum omnium quæ ad rem nostram pertinebant, erat prætermittendum.


Perspicuum est autem ex dictis, carmen bucolicum iis tantùm conuenire posse, qui vitam ruri degunt otiosam, non aratoribus, qui versandæ exercendæque telluri continenter affixi sunt, cæterísque, quorum vita licèt ruri degatur, tamen vel nimis turbulenta, vt venatorum, vel nimis dura, & tristis: nam ni quieta mitísque sit pastorum vita, vt erat pri-

ſcis temporibus : cùm nec ambitionis , nec conſtituendæ rei domeſticæ ſtudio diſtrahebantur animi, non idonea videbitur, quæ pacatiſſimo paſtoritij carminis otio indulgeat.

Quod otium temporibus his , quibus omnia perdita ſunt flagitiis, & bello inflammata, qui faciat , nobis implorandus Deus , per quem triſtiſſimæ noſtræ ætati beatiſſima aureorum temporum innocentia reſtituatur. Vt, quemadmodum priſca gens mortalium , capti amœnitate , atque commoditate ruris , ſe in agros conferant, qui ab honoris & ambitionis inquietiſſimo ſtudio ſeparari , liberaríque voluerint. Quæ felicitas ſi temporibus noſtris contingat aliquando : reuiuiſcet ſimplicitas & innocentia, florebunt bonæ artes, pacíſque, fidei, ac pietatis ſtudium, gloriâ vigebit apud nos ſempiternâ.

FINIS.







SVMMA PRIVILEGII
Regis Christianissimi.

CAVTVM *est auctoritate Regis, ne quis in regno eius, aliisve locis eius ditioni subiectis, librum qui sic inscribitur*: RENATI RAPINI Societatis IESV Eclogæ, cum Dissertatione de Carmine pastorali, *quouis charactere, aut forma excudere, aut alibi excusum vendere, alióve quolibet modo distrahere possit intra decem annos, computandos à die absolutæ primæ editionis, præter Sebastianum Cramoisy, Regis & Reginæ Architypographum, Regiæ Typographiæ Gubernatorem, necnon Vrbis Exconsulem. Qui secus fecerit, mulcta est indicta, prout fusius in diplomate regio continetur. Datum Lugduni die* 10. *Decembris* 1658. *Sic signatum, De mandato Regis*, NOBLET.

Hæc prima editio absoluta fuit die 18. Ianuarij 1659.

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis IESV.

EGO IACOBVS RENAVLT *Prouincialis Societatis* IESV *in Prouincia Franciæ, potestate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Præposito Generali* GOSWINO NICKEL, *facultatem concedo, vt* P. RENATI RAPIN Societatis nostræ Sacerdotis Eclogæ, cum Dissertatione de Carmine pastorali, *eruditorum ex eadem Societate nostra virorum iudicio probatæ, typis mandentur. Parisiis* 2. *Ianuarij anno* 1659.

IACOBVS RENAVLT.

ERRATA.

IN ECLOGIS pag. 31. lege *sua serta* versu 8. Pag. 55. lege *Et qua* v. 13. Pag. 59. lege *Thyrsis*, & in aliis locis vbi omissa aspiratio. Pag. 59. lege *saxa* v. 20.

IN DISSERTATIONE pag. 106. lege *Atreidarum* v. 6. P. 140. lege *Libethrides* v. 2. Pag. 147. lege *ac omnia* v. 27. Pag. 164. lege *Halicarnasseus* v. 27. Pag. 163. lege *Ezechielus* vt distinguatur à Propheta, v. 7. Pag. 166. lege τί γοῦ v. 5. Pag. 167. *Phalereus* v. 6. Pag. 176. lege *floruerit* v. 4. Pag. 185. lege ἀοιδὰς v. 2. Pag. 185. lege *fa- ctum à plerisque*, dele *à Sannazario*, v. 27. Pag. 193. lege *actio pa- storalis* v. 4. quod omissum ni restituatur, contextus is orationis erit obscurus. Pag. 196. lege θεισῶς v. 21.